APPENDIX

AD

C. J. SCHÖNHERR

SYNONYMIAM INSECTORUM

TOM. I. PART. 3.

SISTENS

DESCRIPTIONES NOVARUM SPECIERUM.

SCARIS,

in Officina LEWERENTZIANA, 1817.

APPENDIX.

DESCRIPTIONES
NOVARUM SPECIERUM
INSECTORUM.

APPENDIX.

DESCRIPTIONES NOVARUM SPECIERUM. INSECTORUM

HISPA.

1) Hispa spinulosa: atro-cærulescens, antennis muticis, thorace spinis tribus lateralibus simplicibus, elytris multi-spinosis, femoribus arcuatis sub-spinosis.

Gyllenh. Ins. Sv. I. III. p. 450. not. sub *H. atra.*

Habitat in Sierra Leona Africæ, Dom. Prof. *Afzelius.* Mus. *Schönh. & Gyllenh.*

H. atra statura et colore similis, sed triplo major et vere distincta. Caput porrectum nigrum, oculis oblongis brunneis; antennæ muticæ, corpore multo breviores, tenues, sub-filiformes, vel extrorsum parum incrassatæ, nigræ, articulis quinque ultimis sub-testaceis; articulus tertius a basi reliquis plus duplo longior. Thorax sub-transversus, antice angustior, basi apiceque truncatus, lateribus pone medium dilatatus, ibique spinis tribus rectis, simplicibus, distinctis, armatus, prima mediocri, secunda majore, tertia reliquis minore, et præterea in ipso angulo antico spinula minuta; supra depressus, in-æqualis, bis transversim impressus, totus niger, opacus, pilis parvis depressis griseis parce adspersus, quibus detritis, superficies rude punctata videtur; juxta marginem anticum utrinque spina erecta bifida, lacinia posteriori majore. Scutellum obtuse triangulare nigrum læve. Elytra thorace multo latiora et fere quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra parum convexa, inæqualia, nigro-cærulescentia, sat profunde punctato-striata, spinis plurimis erectis validis acutis simplicibus, majoribus et minoribus mixtis, armata. Corpus subtus nigrum opacum, sub-punctatum, ventre piceo, margine dilutiore. Pedes breviusculi, validi, nigri, femoribus arcuatis subtus dente medio parvo acuto, aliisque minutis, vix observandis, armatis.

Var. β. ventre toto testaceo.

Var. γ. duplo minor, ventre nigro-piceo, forte mas.

GYLLENHAL.

2) Hispa spinigera: atra, antennis femoribusque muticis, thoracis disco bi-canaliculato, lateribus tri-spinosis, anticis duabus basi connexis.

Habitat in Sierra Leona Africæ, Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo, statura et color var. γ præcedentis, sed abunde differt, thoracis disco canaliculato, spinis lateralibus anterioribus basi connexis, femoribus muticis, etc. Caput et oculi ut in præcedenti; antennarum structura et color etiam ut in illa, articulo primo crasso ovato, absque spina dorsali. Thoracis forma et color ut in priori, supra depressus, bis transversim impressus, disco elevatiori, lineis duabus mediis abbreviatis, approximatis, canaliculato; in utroque latere spinæ tres elongatæ, acutæ, quarum duæ anteriores basi connatæ, antica longiore; juxta marginem anticum spinæ duæ duplicatæ, ramis æqualibus, elongatis, acutis, divergentibus. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma, color, punctura et spinæ etiam ut in illa. Corpus subtus nigrum, sub-opacum, obsolete punctulatum. Pedes breviusculi validi nigri, femoribus sub-arcuatis muticis.

Gyllenh.

3) Hispa echinata: obscure testacea, oculis spinisque dorsalibus elytrorum nigro-piceis, antennis femoribusque muticis, thoracis lateribus tri-spinosis, anticis duabus basi connatis.

Habitat in Sierra Leona Africæ, Dom. Prof. *Afzelius*: Mus. *Schönherr*.

Statura, magnitudo et affinitas *H. spinigeræ*, sed præter colorem differt: thoracis disco vix canaliculato; spinis duplicatis marginis antici multo brevioribus, spinaque antica laterali media breviore, etc. Ab *H. testacea*, cui colore et facie simillima, differt spinis thoracis longe aliter constructis et coloratis. Caput testaceum, oculis nigro-piceis; antennæ testaceæ, interdum basi obscuriores, structura ut in præcedenti. Thorax etiam ut in illo constructus, supra bis transversim impressus et obsolete canaliculatus, totus testaceus, pilis concoloribus depressis adspersus; spinarum numerus et situs omnino ut in præcedenti, sed spinæ duplicatæ marginis antici multo breviores, et ramus anterior spinæ lateralis brevior quam ramus alter seu medius; spinæ omnes testaceæ, rectæ, apicibus obscuriores. Scutellum obtuse triangulare testaceum. Elytrorum forma ut in

priori omnino, testacea, punctato-striata, spinis plurimis armata, lateralibus testaceis, 3 s. 4 posticis exceptis nigro-piceis, dorsalibus vero omnibus nigro-piceis, plerisque validioribus; spinulæ apicis elytrorum brevissimæ. Corpus et pedes testacea immaculata, femoribus parum incrassatis muticis. GYLLENH.

4) HISPA SULCICOLLIS: atra, antennis fusiformibus, basi spinosis, thorace tenue sulcato, lateribus tri-spinoso, elytrorum spinis brevioribus.

H. sulcicollis. Megerl. sec. Schneid.

H. atra (spinosa) var. major. Fabr. S. Eleuth. II. p. 59. 2.

Habitat in Guinea et Indiis. Mus. *Gyllenh.*

Magnitudo et statura *H. spinulosæ*. sed abunde differt: antennarum articulo primo spina elongata valida armato, thorace sulcato, spinis duabus anterioribus lateralibus basi connatis, etc. Caput deflexum atrum, vertice rugoso: oculi oblongi brunnei: antennæ vix dimidio corpore longiores, nigræ, articulo primo magno, crasso, sub-cylindrico, supra versus apicem spina elongata, recta, valida, acuta armato; secundo etiam crasso, sed brevi; sequentibus coarctatis, perfoliatis, pubescentibus, exterioribus sensim crassioribus, ultimo acuminato. Thorax latitudine medii paullo brevior, basi apiceque truncatus, anterius angustior, lateribus pone medium rotundato-dilatatus, supra parum convexus, bis transversim obsolete impressus et canalicula angusta simplici in medio exaratus, totus ater, crebre rugoso-punctatus, pilisque parvis cinereis adspersus: in singulo latere spinæ tres validæ, sub-æquales, quarum duæ anteriores basi connatæ, et in dorso antico spinæ duæ duplicatæ, ramo anteriore paullo longiore. Scutellum obtuse tri-angulare, atrum, sub-læve. Elytra thoracis medio paullo latiora et illo triplo longiora, apice obtuse rotundata, supra parum convexa, valde in-æqualia, punctis rudis sub-seriatis impressa, spinisque plurimis erectis validis, sed brevibus, in disco inordinate sparsis, in margine crebrioribus seriatis, omnibus ad apicem usque fere æqualibus, armata; tota atra, sub-nitida. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, subtiliter et obsolete ruguloso-punctatum. Pedes breviusculi validi atri, femoribus crassis, subtus denticulis parvis armatis spongiis tarsuum dilatatis cinereis. GYLLENH.

5) HISPA RAMOSA: nigra, cinereo-pubescens, spinis longis tenuibus, basi testaceis, undique armata, spinis baseos antennarum laterumque thoracis tri-ramosis.

Gyllenh. Ins. Sv. I. III. p. 450. not. sub *H. atra*.

Habitat in Indiis, Dom. *Schestedt* et *Lund*; Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

Statura et magnitudo *H. atræ*, sed abunde distincta. Caput deflexum nigrum, vertice rugoso, oculis brunneis; antennæ dimidio corpore longiores, nigræ, articulo primo magno, ovato, supra spina tri-ramosa, ramis subrectis testaceis, apice nigris, interiore breviore, extimo reliquis longiore; articulus secundus etiam crassus, supra spina longa arcuata porrecta instructus; articuli 3, 4, 5, 6, tenuiores, obconici, singuli superne spina breviore recta armati; reliqui articuli successive crassiores, coarctati, pubescentes, ultimo acuminato. Thorax quoad structuram ut in prioribus, supra parum convexus, bis profunde transversim impressus, niger, cinereo-pubescens, obsolete rugoso-punctatus; in singulo latere spinæ tres elongatæ testaceæ, apice obscuriores, omnes basi connatæ, anteriores duæ sub-rectæ, æquales, posteriore longiore arcuata; in dorso antico spinæ duæ duplicatæ ejusdem coloris, ramis elongatis, sub-rectis, divaricatis. Scutellum obtuse rotundatum nigrum, sub-læve. Elytra thoracis medio paullo latiora et illo triplo longiora, apice obtuse rotundata, supra convexa, in-æqualia, profunde seriato-punctata, nigra, pilis cinereis sub-erectis parce adspersa, spinisque plurimis elongatis sub-arcuatis, tenuibus, inferne testaceis, apice nigricantibus, armata. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, obsolete punctulatum. Pedes validi nigri, femoribus crassis arcuatis, subtus denticulis nonnullis parvis instructis.

GYLLENH.

6) HISPA PORRECTA: elongata, sub-depressa, rufo-testacea, antennis, thoracis linea media, elytrorum apice, pectore, ventre pedibusque nigris, fronte porrecta canaliculata.

Habitat in Sierra Leona Africæ, Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

Insectum singulare, fronte inter antennas valde porrecta a reliquis nobis cognitis *Hispæ* speciebus diversum: tarsuum articulus quartus etiam solito minor, intra lobos articuli tertii fere occultatus, unde in animo fuit hoc Insectum ut peculiare genus, sub nomine

Cryptonychus, proponere; dum vero notas essentiales, ab instrumentis cibariis, eruere non valuimus, consultius duximus ut *Hispæ* speciem considerare, cujus generis notas plerasque præbet.

Corpus elongatum, magnitudine *Lyci Auroræ*, vel paullo longius et angustius, *Hispa carinata Fabr.* paullo major. Caput porrectum, rufo-testaceum, fronte inter antennas producta in cornu longum, apice truncatum, supra profunde canaliculatum, canalicula in verticem usque extensa, et ibi macula nigra notata; oculi majusculi oblongi hepatici; antennæ dimidio corpore breviores, crassiusculæ, totæ nigræ, sub lateribus cornu frontalis insertæ, articulo primo magno cylindrico, secundo brevi nodoso, sequentibus coarctatis, sensim paullo crassioribus, ultimo conico. Thorax sub-quadratus, lateribus rectis parallelis, antice rotundatus, basi bi-sinuatus, supra sub-depressus, crebre et profunde punctatus, undique rufo-testaceus, linea dorsali media lata nigra; subtus pone insertionem femorum anticorum etiam macula lateralis nigra utrinque. Scutellum parvum rotundam nigrum. Elytra thorace paullo latiora et sextuplo longiora, fere linearia, apice rotundata, supra parum convexa, profunde punctato-striata, interstitiis alternis elevatioribus; anterius, ultra medium rufo-testacea, apice late nigra. Pectus et abdomen subtus nigra nitida sub-lævia, segmentorum ventralium marginibus anguste ferrugineis. Pedes brevissimi nigri, femoribus crassis, anterioribus quatuor subtus rufo-testaceis; tibiæ crassæ nigræ; tarsi quadri-articulati, primis tribus valde dilatatis, subtus dense cinereo-spongiosis; articulus quartus l. unguicularis minutus, intra lobos articuli tertii occultatus. GYLLENH.

DRYOPS.

7) DRYOPS? CLAVIPES: nigra punctatissima, cinereo-pubescens, ore, antennarum femorumque basi pallidis, thorace rotundato undique marginato, femoribus posticis alterius sexus magnis arcuatis.

Osphya (*Pelecina*) *clavipes*. * Illig. Mag. VI. p. 300. 33. p. 333, et p. 370.

Zonitis clavipes. * Megerle Catal. Ins. Vienn.

Oedemera. * Latreille Gen. Ins. IV. add. p. 380.

Nothus clavipes. Megerle in litteris.

Var. *β*. femoribus posticis fere totis nigris.

Habitat in Hungaria.

Nothus femoratus. Megerle in litteris.

Incerti generis animalculum, cum *Cantharide bipunctata* Fabricii, cui valde affine, aliisque indescriptis, nobis ignotis, novum constituens genus, cui nomina varia ab auctoribus proposita fuere, ut antea allatum; dum vero pleræque *Dryopis* species, teste Dom. Illiger et Olivier, ad genus *Necydalis* pertinent, et characteres huic generi adhibitæ insecto nostro conveniunt, nomen *Dryops* his retinendum idoneum nobis videtur. Hæc jam describenda species etiam cum *Necydalis* speciebus femoribus incrassatis affinitatem maximam præbet, sed thoracis forma rotundata, marginata, ab illis, ut et a *Zonitis* genere removet.

Corpus magnitudine, colore et facie *Cantharidi obscuræ* proximum, sed sexui alterius, femoribus simplicibus, plerumque minus. Caput deflexum nigrum, crebre punctulatum, tenue cinereo-pubescens, ore toto, labro frontisque margine pallidis; palpi maxillares magni, articulo ultimo valde dilatato, securi-formi; labiales parvi, cylindrici; oculi magni lunati brunnei; antennæ dimidio corpore longiores, tenues, setaceæ, nigræ, articulis tribus primis baseos pallidis. Thorax latitudine paullo brevior, antice et lateribus exacte rotundatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, lateribus late, basi apiceque anguste explanato marginatus, niger, subtilissime crebre punctulatus, pube depressa cinerea obductus, marginibus lateralibus plerumque pallidis. Scutellum rotundatum nigrum, densius cinereo-pubescens. Elytra thoracis latitudine, sed sextuplo longiora et ultra, apice rotundata, supra parum convexa, nigra, paullo fortius quam thorax et creberrime rugoso-punctata, cinereo-pubescentia, margine laterali plerumque anguste pallido. Alæ amplæ fuscescentes. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, tenue pubescens, ano segmentorumque ventralium marginibus pallide testaceis; stylus ani sæpe exsertus, rigidus, acutus, testaceus, et hoc in utroque sexu, in illo vero, cui femora crassa, multo brevior. Pedes longiusculi testacei, femorum tibiarumque apice tarsisque nigris; femora postica in uno sexu, forte masculo, valde incrassata, arcuata; in altero etiam arcuata, sed angusta: tarsi pedum 4 anteriorum 5-articulati, posticorum 4-articulati, penultimo omnium bilobo.

Var. β. differt tantum femoribus posticis totis nigris, adeoque, me judice, specie distingui non meretur.

GYLLENH.

8) DRYOPS? *bi-punctata*: Var. β Elytris nigris, margine exteriore pallido.

Loc. *Austria*. Dom. Megerle.

Simillima α, sed elytra nigra, margine exteriore fere ad apicem pallido. GYLLENH.

LAGRIA.

9) LAGRIA GRANDIS: villosa rufo-testacea punctatissima, elytris pallidioribus, basi violaceo-virentibus, antennis femoribusque extrorsum nigris

Habitat in Nova Hollandia, Dom. *Hooker*. Mus. *Schönh.* & *Gyllenhal*.

L. villosa dimidio major, præsertim longior. Caput porrectum, rotundatum, rufo-testaceum, crebre rugoso-punctatum, vertice brunneo; oculi magni lunati nigricantes; antennæ dimidio corpore longiores, nigræ, articulis inferioribus basi ferrugineis, ultimo præcedentibus duplo longiore, sub-conico. Thorax angustus, sub-cylindricus, immarginatus, basi apiceque truncatus, marginibus reflexis, saturate rufo-testaceus, sub-nitidus, crebre & profunde punctatus, villositate longa erecta grisea parce adspersus. Scutellum triangulare rufum, sub-læve. Elytra magna, basi thorace fere duplo latiora, & illo quintuplo longiora, apice acuminata, supra modice convexa, creberrime rugoso-punctata, dilutius testacea, tinctura violaceo-virescente, certo situ resplendentia, basi saturatius violacea vel virescentia, humeris prominulis. Alæ amplæ fuscescentes. Corpus subtus rufo-testaceum nitidum, sub-læve. Pedes elongati validi, longius hirti, femoribus clavatis nigris, basi testaceis, tibiis arcuatis tarsisque fusco-piceis.

GYLLENH.

10) LAGRIA CAERULESCENS: villosa, supra cæruleo-violacea, subtus fusco-testacea, antennis longis fusco-piceis, thorace cylindrico obsolete punctulato, elytris punctatissimis.

Habitat in India orientali, *Dom. J. Lund*. Mus. *Schönherr*.

Statura & similitudo *L. viridipennis* Fabr. sed triplo minor & ultra, antennis tenuioribus longis, thorace obsolete punctulato, &c. ab illa distincta. *L. rugosa* Fabr. valde affinis, sed thorax non rugosus, & antennæ paullo longiores. Corpus totum pilis densis cinereo-albidis adspersum. Caput rotundatum fusco-testaceum,

obsolete punctulatum, vertice impresso, oculis magnis lunatis nigro-brunneis. Antennæ dimidio corpore longiores, fusco-piceæ, basi tenues, extrorsum sensim crassiores, articulo ultimo reliquis majore ovato. Thorax angustus, cylindricus, latitudine multo longior, supra cæruleo-violaceus, obsolete subtiliter punctulatus, subtus & lateribus rufo-piceus. Scutellum triangulare nigro-piceum, pubescens. Elytra magna, thorace duplo latiora & illo sextuplo longiora, apice acuminata, supra convexa, tota caeruleo-violacea sub-nitida, confertissime & sat profunde rugoso-punctata. Corpus subtus rufo-piceum nitidum, sub-læve. Pedes elongati fusco-testacei pubescentes. GYLLENH.

11) LAGRIA BREVICOLLIS: glabra, fusco-picea, elytris dilutioribus punctatissimis, thorace brevi transverso obsolete punctulato, antennis brevibus crassis nigris, basi testaceis.

Habitat in Sierra Leona Africæ, Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Statura *L. villosæ*, sed paullo minor. Caput porrectum, rotundatum, rufo-piceum, obsolete rugoso-punctatum, supra sub-depressum, inæqvale, ore labroque cinereo-villosis; oculi lunati brunnei; antennæ capite cum thorace parum longiores, extrorsum incrassatæ nigræ, basi rufo-testaceæ, articulo primo crassiore, globoso; secundo minuto, nodoso; tertio longiore ob-conico, sequentibus perfoliatis, sensim crassioribus, ultimo ovato. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, marginibus elevatis, lateribus immarginatus, supra parum convexus, inæqualis, foveolis variis impressus, rufo-piceus sub-nitidus, parce & obsolete punctulatus. Scutellum triangulare, rufo-testaceum, nitidum, læve. Elytra magna, thorace duplo latiora & sextuplo longiora, supra modice convexa, dilutius testacea, glabra, confertissime rugoso-punctulata, interstiis pluribus elevatis, præsertim posterius. Alæ amplæ fuscescentes. Corpus subtus rufo-piceum nitidum sub-læve. Pedes elongati glabri tenues testacei, femoribus sub-clavatis, extrorsum, tarsisque infuscatis.

GYLLENH.

12) LAGRIA REVESTITA: villosa rufo-testacea punctatissima, elytris nigris, thorace angusto cylindrico, transversim impresso.

Habitat in India orientali. *J. Lund.* Mus. *Schönherr*.

L. hirta femina magnitudine æqualis, sed in elytris paullo latior, tota pilis cinereo-albidis hirta. Caput porrectum, rotundatum, rufo-testaceum, confertissime punctulatum, oculis lunatis brunnei. Antennæ longitudine dimidii corporis, basi rufo-testaceæ, extrorsum fusco-piceæ. Thorax angustus sub-cylindricus, latitudine paullo longior, totus rufo-testaceus punctatissimus, paullo pone medium transversim arcuatæ impressus. Scutellum triangulare rufo-testaceum pubescens. Elytra magna, thorace fere duplo latiora et sextuplo longiora, humeris elevatis; apice acuminata, supra modice convexa, confertissime et sat profunde rugoso-punctata, nigra, sub-nitida, sutura marginibusque anguste rufo-piceis. Alæ amplæ fuscæ. Corpus subtus rufo-testaceum, sub-nitidum, obsolete punctulatum. Pedes longiusculi rufo-picei, densius villosi, femoribus basi testaceis. GYLLENH.

13) LAGRIA STRIATELLA: villosa rufo-testacea, elytris pallidioribus punctato-striatis, antennis crassis extrorsum, capite anoque nigro-piceis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönh.* et *Gyllenh.*

Minor reliquis nobis cognitis hujus generis, *Malachio sanguinolento* æqualis. Corpus totum pube erecta grisea adspersum. Caput majusculum rotundatum, nigro-piceum, obsolete punctulatum, oculis magnis lunatis nigris. Antennæ capite cum thorace parum longiores, crassæ, basi rufo-testaceæ, extrorsum nigræ, articulo ultimo maximo elongato cylindrico. Thorax transversus, antice paullo latior, basi apiceque truncatus, lateribus immarginatus, supra modice convexus, totus rufo-testaceus sub-nitidus, evidenter punctatus. Scutellum triangulare rufo-testaceum sub-læve. Elytra thorace dimidio latiora et quintuplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, pallidius testacea, sub-nitida, punctato-striata, interstitiis transversim rugulosis. Corpus subtus rufo-testaceum, obsolete punctulatum, ano late nigro-piceo. Pedes longiusculi fusco-testacei, femoribus basi pallidioribus. GYLLENH.

DASYTES.

14) DASYTES MORIO: oblongus niger hirtus, thorace brevi æquali, elytris subtiliter rugoso-punctatis, antennis obtuse serratis.

Habitat in Barbariæ floribus. Dom. *Groendal.* Mus. *Schönherr.*

Magnitudo, statura et summa affinitas *Dasyt. obscuri*, Gyll. Ins. Sv. sed color totius corporis saturate niger, minime metallico-nitens, et villositas thoracis densior. Caput thorace angustius, deflexum, rotundatum, nigrum, subtilissime obsolete punctulatum, fronte inter oculos impressa. Antennæ totæ nigræ, obtuse serratæ. Thorax brevis, latus, transversus, antice truncatus, lateribus et basi rotundatus, supra convexus, æqualis, absque impressionibus, totus niger, obsolete punctulatus, pilis erectis fuscis dense hirtus. Scutellum rotundatum nigrum læve. Elytra thoracis medio vix latiora, sed illo quintuplo longiora, humeris prominulis; supra modice convexa, tota nigra, crebre sed non profunde rugoso-punctata, parcius quam thorax pilosa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pubescens. Pedes elongati tenues, nigri villosi. GYLLENH.

15) DASYTES? PECTINATUS: elongatus, nigro-piceus hirtus, thorace brevi postice rectangulo, elytris obsolete rugoso-punctatis, antennis pectinatis.

Habitat in Germania. Dom. *Andersch.* Mus. *Schönh.*

Non certe hujus generis, nam structura thoracis alia. Caput deflexum rotundatum, piceum, obsolete punctulatum, fronte inter oculos late impressa; os rufo-testaceum, mandibulis validis arcuatis; oculi magni globosi brunnei. Antennæ longitudine dimidii corporis, crassæ, nigræ, acute serratæ, ut fere pectinatæ, radiis acutis. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, angulis omnibus fere rectis, lateribus monnihil rotundatus, margine late explanato, reflexo; supra in disco convexus, intra margines undique impressus, totus niger, villosus, obsolete rugoso-punctatus. Scutellum triangulare nigrum punctulatum. Elytra latitudine thoracis, et illo fere sextuplo longiora, linearia, apice rotundata, supra modice convexa, nigro-picea, hirta, obsolete rugoso-punctata. Corpus subtus dilutius piceum, obsolete punctulatum, pubescens. Pedes mediocres, fusco-testacei, pubescentes, tarsis tenuibus.

GYLLENH.

16) DASYTES RUBIDUS: oblongus nigro-volaceus, longius hirtus, elytris profunde punctatis castaneis, apice dilutioribus, antennis pedibusque ferrugineis.

Habitat in Hungaria. Dom. *Megerle.*

D. nigricorni similis, sed paullo minor, longius hirtus et aliter coloratus. Caput rotundatum, deflexum, retractum, nigro-violaceum, crebre punctatum, dense fusco-hirtum. Antennæ capite parum longiores, ferrugineæ, extrorsum crassiores, obtuse serratæ, apice fuscescentes. Thorax transversus, antice truncatus, lateribus et postice rotundatus, anguste marginatus, supra modice convexus, nigro-violaceus nitidus, parce et parum profunde punctatus, dense fusco-hirtus. Scutellum oblongum nigrum, pube depressa cinerea adspersum. Elytra thoracis medio vix latiora, sed sextuplo longiora, apice rotundata, supra convexa, fusco-castanea, apicem versus dilutius testacea, undique crebre et valde profunde punctata, pilis longis fusco-cinereis hirta. Corpus subtus nigrum, parum æneo- vel violaceo-micans, obsolete punctulatum, pubescens. Pedes mediocres toti ferruginei.

GYLLENH.

CEROCOMA.

17) CEROCOMA MÜHLFELDI: cæruleo-viridis pubescens punctata, antennis pedibusque flavo-rufescentibus, thorace latiori sub-rotundato, antennarum maris articulo ultimo transverso malleoli-formi.

Habitat in Austria. Dom. *Megerle von Mühlfeld.* Mus. *Gyllenhal* et *Schönherr.*

Simillima *C. Schæfferi*, sed thorax paullo brevior et latior, et structura articuli ultimi antennarum maris longe alia; a *C. Schræberi* adhuc magis differt, thorace multo latiore & breviore, abdomine toto corpori concolore, antennis pedibusque, etiam in femina flavescentibus, ultimoque articulo antennarum maris breviore, aliter formato. Caput rotundatum, deflexum, cæruleo-virescens, punctatum, dense albido-pubescens, ore producto, palpis flavescentibus, anticis maris maximis; oculi oblongi brunnei. Antennæ flavo-rufescentes, maris inferne valde irregulares, dilatato-crispatæ, articulis duobus penultimis brevibus, transversis, perfoliatis, simplicibus, ultimo magno transverso compresso malleoli-formi, brevi, superius nonnihil angustiore, sub-emarginato, vel dente parvo instructo; antennæ feminæ simplices clavatæ, articulo primo longiore obconico ni-

gro-piceo, reliquis flavo-rufis, 2-8 perfoliatis, exterioribus gradatim crassioribus, ultimo maximo, oblique ovato, lævi. Thorax latitudine medii non longior, antice et lateribus rotundatus, immarginatus, basi truncatus, supra parum convexus, in medio leviter canaliculatus, et versus apicem utrinque foveola, in masculo profunda, oblonga, in femina magis obsoleta, impressus, totus cæruleo-virescens, creberrime punctatus, albido-pubescens. Scutellum breve triangulare cæruleo-virescens, inæquale, punctatum, pubescens. Elytra thoracis medio paullo latiora, humeris prominulis, et illo sextuplo longiora, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, cæruleo-virescentia, confertissime rugoso-punctata, albido-pubescentia. Alæ amplæ fuscæ. Corpus subtus saturatius cærulescens, obsoletius punctatum, longius pubescens. Pedes elongati flavo-rufescentes in utroque sexu, femoribus basi cæruleo-virescentibus.

GYLLENH.

PAUSUS.

18) PAUSUS DENTICORNIS: brunneo-castaneus nitidus sub-pubescens, thorace brevi, antice utrinque rotundato-dilatato, antennarum clava ovata, compressa, juxta basin superne incisa.

Pausus denticornis, Megerle. * Illig. Mag. III. p. 113. not.

Habitat in India orientali. Dom. Prof. *Schumacher*, Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

Major reliquis nobis cognitis hujus generis, *Clero formicario* latior, sed in elytris brevior. Caput porrectum, sub-quadratum, brunneum nitidum, tenue pubescens, supra sub-depressum, obsolete canaliculatum, pone oculos in collum breve angustatum; oculi magni prominuli glauci; os inflexum brunneum, palpis crassis pilosis conicis, vel extrorsum attenuatis. Antennæ magnæ brunneæ pilosæ, articulo primo crasso, difformi, apice oblique emarginato, angulo superiore producto, fere conico; tunc articulus parvus, sub-globosus, emarginaturæ priori immersus, cui insidet articulus ultimus maximus, fere ovatus, basi tamen truncatus, supra in disco parum convexus, subtus magis gibbosus, margine omni compresso, acuto; juxta basin superne transversim impressus, et in margine superiori profunde incisus. Thorax bevis transversus, basi apiceque truncatus, anterius multo latior, lateribus rotundato-dilatatus, pone

medium cito coarctatus, totus brunneo-castaneus, obsolete et parce punctatus, pubescens, anterius convexus, posterius depressus, et striga media transversa abbreviata impressus. Scutellum mediocre triangulare brunneum nitidum sub-læve. Elytra thoracis antico latiora, et illo quadruplo longiora, oblongo quadrangula, basi ipsa depressa, a thorace remota, sub-emarginata, humeris antrorsum prominulis; lateribus inflexa, immarginata, apice truncata, abdomine multo breviora, supra modice convexa, castanea, sub-nitida, pubescentia, obsoletissime punctata. Corpus subtus brunneo-castaneum nitidum, parce punctulatum et pubescens, abdomine supra pone elytra convexo, obscuriore, segmento anali rotundato, marginato. Pedes breviusculi pallidius castanei, valde compressi, tibiis dilatatis, posticis apice exteriore productis; tarsi 4-articulati videntur, articulis tribus prioribus brevibus, perfoliatis, coarctatis, pilosis, quarto elongato cylindrico, unguibus duobus tenuibus arcuatis armato. — Tab. 6. fig. 1. b. magnitudo naturalis; fig. 1, a. aucta. GYLLENH.

19) Pausus Bucephalus: pallide testaceus glaber, capite magno rotundato, antennarum clava compressa, ovato-lanceolata, acuta, in fovea ante-oculari reponenda, oculis parvis oblongis nigris depressis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Specimine mediocri *Anobii mollis* æqualis et colore similis. Caput magnum convexum rotundatum testaceum nitidum, fronte linea impressa, postice bifida, ramulis in tubercula duo verticalia mamillata desinentibus; oculi parvi depressi nigri oblongi; inter oculos et antennarum basin utrinque fovea magna, ovata, profunde impressa, pro receptione clavæ antennarum. Antennæ corpori concolores, articulo primo brevi, lato, in medio emarginato; secundo parvo, sub-globoso, emarginaturæ præcedentis inserto; tertio magno, ovato-lanceolato, subtus vel posterius convexo, supra vel anterius concavo, apice acuto antrorsum flexo. Thorax brevis transversus, antice multo latior, capiti æqualis et illud ambiens, basi apiceque truncatus, supra inæqualis, paullo pone medium striga angulata valde profunda, et antice posticeque aliis obsoletioribus transversis impressus. Scutellum mediocre triangulare concolor. Elytra thoracis antico non latiora, oblongo-

quadrata, basi ipsa transversim impressa, lateribus inflexo-sinuata, apice truncata, anum occultantia, supra convexa, testacea, nitida, lævia. Alæ amplæ fusco-hyalinæ. Corpus subtus testaceum, punctulatum, abdomine brevi retuso. Pedes breves validi, pallide testacei, femoribus tibiisque valde compressis, dilatatis, tarsis brevibus cylindricis ut videtur 4-articulatis. primis tribus brevissimis coarctatis pilosis, quarto longiore nudo, unguibus duobus parvis arcuatis armato.—Tab. 6. fig. 2. b. magnitudo naturalis; fig. 2. a. aucta; fig. 2. c. caput magn. aucta. GYLLENH.

LYTTA.

20). LYTTA HUMERALIS: atra, fusco-hirta, thorace longiore angusto, elytris latioribus, plaga magna humerali cuneata pallida.

Habitat — — — extra Europam. Mus. *Schönherr.* e Mus. *Schneideri.*

Magnitudo et statura *L. pallidi-collis*, sed thorax longior, totus niger, et elytrorum humeri pallidi. Caput deflexum rotundatum atrum, crebre punctulatum, dense fusco-pubescens, fronte canalicula abbreviata impressa; oculi oblongi brunnei. Antennæ capite cum thorace parum longiores, nigræ, articulo primo longo, arcuato, clavato; secundo brevi, 3:o iterum longo ob-conicis; 4-10 brevibus nodosis perfoliatis, ultimo longiore conico, acuminato. Thorax vix longitudine latior, antice et lateribus rotundatus. immarginatus, basi sub-truncatus, reflexo-marginatus, supra parum convexus, inæqualis, intra marginem anticum transversim impressus, totus ater, creberrime punctulatus, pubescens. Scutellum triangulare nigrum, subtiliter punctulatum. Elytra thorace multo latiora et sextuplo longiora, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, confertissime subtiliter rugoso-coriacea, nigra, vix pubescentia, lineis 3 vel 4 longitudinalibus leviter elevatis in singulo: in quovis humero plaga magna luteo-pallida, basi lata, versus medium elytri cuneatim producta. Corpus totum subtus atrum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum, densius pubescens. Pedes elongati nigri pubescentes. GYLLENH.

21) LYTTA PALLIDI-COLLIS; atra, fusco-hirta, thorace brevi, antice latiore, supra flavescente, plaga triangulari baseos nigra, elytris latioribus coriacei.

Habitat — — — extra Europam. Mus. *Gyllenh.* è Mus. *Schneider.*

L. Syriaca brevior, sed in elytris latior. Caput deflexum, rotundatum, atrum, crebre punctatum, pube erecta nigro-fusca obductum, vertice leviter canaliculato; oculi oblongi prominuli nigro-brunnei. Antennæ atræ, longitudine dimidii corporis, ut in *L. Syriaca* constructæ. Thorax latitudine brevior, antice latior, rotundatus, lateribus immarginatus, basi sub-truncatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, evidenter punctatus, pubescens, in medio obsolete canaliculatus, limbo antico late pallide flavescente, basi plaga magna triangulari atra; subtus etiam totus ater. Scutellum parvum rotundatum atrum. Elytra thorace multo latiora & quintuplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, tota atra, confertissime subtiliter rugoso-coriacea, tenue pubescentia, linea media elevata obsoleta in cujusvis elytri medio. Alæ amplæ nigro-fuscæ. Corpus totum subtus atrum punctulatum pubescens. Pedes elongati atri pubescentes. GYLLENH.

22) LYTTA FLAVICOLLIS: atra, fusco-hirta. capite femoribusque fusco-testaceis, thorace brevi rotundato, toto pallido.

Habitat — — — sub nomine & *L. flavicollis* & *L. thoracica*, a Dom. *Schneider* missa. Mus. *Gyllenh.*

Statura præcedentis, sed *L. atrata* minor; variat etiam inter se magnitudine duplo minori. Caput thorace majus, postice rectangulum, fusco-testaceum, crebre punctatum, pube brevi erecta fusca adspersum, mandibularum apice palpisque nigris; oculi oblongi prominuli nigro-brunnei. Antennæ dimidio corpore longiores, atræ, pube brevi densa concolore tectæ. Thorax brevissimus transversus, ante medium paullo latior, angulis omnibus rotundatis, supra parum convexus, sat crebre punctatus, fusco-pubescens, in medio obsolete canaliculatus, totus undique pallide testaceus. Scutellum mediocre rotundatum nigrum. Elytra thorace latiora et sextuplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, saturate atra, confertissime subtiliter rugoso-coriacea, dense fusco-hirta. Alæ amplæ nigricantes. Pectus et abdomen subtus atra, magis nitida, subtiliter punctulata. Pedes elongati atri, femoribus fusco-testaceis. GYLLENH.

23) **Lytta strigata**: nigra, sericeo-pubescens, capite thoraceque rufo-testaceis, elytrorum limbo vittisque duabus, basi connexis, albido-villosis.

Habitat in Brasilia forte; sub nomine *L. strigata Hoffmanseggii*, a Dom. *Schneid.* missa. Mus. *Gyllenh.*

Statura & facies *L. vittatæ Fabr.* Caput magnum deflexum rotundatum rufo-testaceum, obsoletissime punctulatum, pube depressa cinereo-sericea adspersum, fronte evidenter canaliculata; oculi mediocres nigro-brunnei. Antennæ longitudine dimidii corporis, tenues, totæ nigræ. Thorax elongatus, anterius angustatus, totus rufo-testaceus, linea dorsali angusta cinereo-albida notatus, cæterum punctura & indumento simili uti caput. Scutellum mediocre rotundatum nigrum, dense cinereo-pubescens. Elytra thorace multo latiora & quintuplo longiora, posterius dilatata, apice singulatim rotundata, supra convexa, nigra, sub-lævia, dense fusco-sericea, margine, sutura vittisque in singulo duabus, postice abbreviatis, in humero connexis, albido-villosis. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes tenues elongati, toti nigri.

GYLLENH.

24) **Lytta strigosa**: nigra, pube depressa flavescenti-sericea tecta, thorace lineolis duabus abbreviatis, elytroque singulo vittis duabus denudatis nigris.

Habitat — — — Sub allato nomine a D. *Schneid.* communicata. Mus. *Schönh.* & *Gyllenh.*

Statura & fere magnitudo præcedentis. Caput magnum rotundatum nigrum, pube densa depressa flavescenti-sericea tectum, plaga in medio frontis magis nuda; oculi magni prominuli nigro-brunnei. Antennæ longitudine dimidii corporis, totæ nigræ, sub-nudæ. Thorax oblongus, anterius angustatus, basi truncatus, supra convexus, niger, pube simili uti caput tectus, relictis lineolis duabus abbreviatis, approximatis, in medio dorsi. Scutellum parvum rotundatum, flavo-pubescens. Elytra thorace latiora & sextuplo longiora, sub-linearia, apice singulatim rotundata, supra convexa, nigra, confertissime subtiliter punctulata, margine omni, sutura, vittaque lata media singuli elytri flavo-pubescentibus. Corpus subtus nigrum, pube flavo-cinerea tectum. Pedes elongati nigri, femoribus tibiisque pube densa flavo-cinerea tectis, tarsis nigro-hirtis.

GYLLENH.

25) Lytta icterica: rufo-testacea, tenue pubescens, elytris pallidioribus, ore, antennis, oculis, pectore, genubus tarsisque nigro-piceis, thorace antice attenuato.

Habitat in Sierra Leona Africæ, Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönh*. & *Gyllenh*.

Statura elongata, angusta, & magnitudo *L. cinereæ Fabr.* Caput magnum, rotundatum, rufo-testaceum, punctatum, ore piceo; oculi magni prominuli nigro-brunnei. Antennæ dimidio corpore longiores, tenues, nigræ. Thorax elongatus, anterius angustatus & depressus, basi truncatus, reflexo-marginatus, totus rufo-testaceus, punctatus, parum pubescens. Scutellum rotundatum rufo-testaceum, crebre punctulatum. Elytra thorace multo latiora & sextuplo longiora, linearia, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, pallide testacea, crebre subtiliter rugoso-punctata, lineis tribus elevatis obsoletis in singulo notata, pube brevi cinereo-albida densiori adspersa. Alæ amplæ fusco-hyalinæ. Pectus & abdominis basis in medio nigro-picea, limbo anoque rufo-testaceis. Pedes longiusculi rufo-testacei, genubus tarsisque nigro-piceis.

Gyllenh.

DIRCÆA.

26) Dircaea Sericea: fusco-picea, subtilissime rugoso-punctata, dense sericeo-pubescens, tibiis tarsisque pallidis, capite exserto.

Habitat in Lusitania, Dom. *Silfversvärd*. Mus. *Gyllenhali*.

D. fuscula, (Ins. Sv. II. p. 525. 8.) similis & affinis, sed quadruplo major, densius pubescens, femoribus fusco-piceis, &c. distincta. Caput exsertum, basi angulatum, anterius rotundatum, fusco-piceum, dense sericeo-pubescens, oculis lunatis brunneis. Antennæ vix longitudine dimidii corporis, filiformes, fusco-piceæ, pubescentes, basi obscuriores. Thorax brevissimus, antice & lateribus rotundatus, basi truncatus, supra parum convexus, fusco-piceus, crebre subtilissime rugoso-punctatus, dense sericeo-pubescens, foveola parva ad basin utrinque impressus. Scutellum triangulare fusco-piceum pubescens. Elytra thorace non latiora, sed sextuplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, plerumque paullo dilutius piceo-testacea, dense sericeo-pube-

scentia; pube detrita, superficies confertissime subtiliter rugoso-punctata videtur. Corpus subtus saturatius nigro-piceum, pubescens, vix punctulatum. Pedes mediocres, femoribus fusco-piceis, tibiis tarsisque pallide testaceis; tarsuum articulus penultimus bilobus, ut in congeneribus. GYLLENH.

HALLOMENUS.

27) HALLOMENUS PALLENS: pallide testaceus, dense sericeo-pubescens, evidenter rugoso-punctatus, oculis solis nigris.

Habitat in Sierra Leona Africæ, Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönh.* & *Gyllenh.*

H. fusco, (Ins. Sv. II. p. 528. 2.) statura & magnitudine similis, sed evidentius rugoso-punctatus, longius pubescens. Caput exsertum, rotundatum, pallide testaceum, crebre punctulatum, pubescens, oculis valde elongatis, lunatis, nigris. Antennæ vix longitudine dimidii corporis, crassiusculæ, testaceæ, pubescentes. Thorax brevis, semi-circularis, antice rotundatus, basi sinuato-truncatus, supra parum convexus, pallide testaceus, crebre evidenter rugoso-punctatus, longius pubescens, ad basin utrinque foveola parva impressus. Scutellum triangulare concolor. Elytra thorace parum latiora, sed sextuplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, pallide testacea, crebre evidenter rugoso-punctata, dense pubescentia. Alæ amplæ hyalino-pallidæ. Corpus subtus pallide testaceum, vix punctulatum, pubescens. Pedes longiusculi pallidi, tarsis elongatis simplicibus. GYLLENH.

LAMPYRIS.

28) LAMPYRIS CONSPICUA: elongata, sub-depressa fusca, elytris nigris, thorace pubescente pallido medio fusco, antennis brevibus, crassis.

Habitat ad Caput bonæ Spei. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal.*

Statura & facies *L. noctilucæ*, sed fere duplo major, thoracis clypeus longior, elytra magis nigra, &c. Caput intra thoracem retractum & occultatum, nigrum, oculis maximis conniventibus; antennæ vix capite longiores, crassæ, obtusæ, nigræ, pubescentes. Thorax semi-ovalis, latitudine fere longior, basi tri-sinuatus, undique reflexo-marginatus & intra margines depressus, flavo-testaceus, punctatus, pubescens, disco elevato,

macula sub-cordata fusca notato. Scutellum oblongum nigrum, apice obtuse rotundatum, griseo-pubescens. Elytra antice thorace paullo latiora, valde elongata, posterius angustata, supra parum convexa, crebre punctata, tota nigra, cinereo-pubescentia, marginibus vix pallidioribus; in singulo elytro lineæ quatuor elevatæ, interiores abbreviatæ. Pectus fusco-brunneum, lateribus pallidioribus. Abdomen latum, depressum, subtus fusco-brunneum, punctatum, lateribus acute serratis anoque pallide testaceis. Alæ amplæ fuscescentes. Pedes compressi, femoribus obscure testaceis, tibiis tarsisque fuscis.

Femina aptera, duplo major mare, tota saturate nigra, opaca, creberrime punctata, pilis brevissimis depressis rigidis squamulæ-formibus, metallico-nitidis undique parce adspersa. GYLLENH.

29) LAMPYRIS VITTIGERA: elongata pallida, elytris fuscis, limbo vittaque abbreviata pallidis, antennis longis compressis nigris.

Habitat in Insula Martinique. Dom. *Forsström*, Mus. *Schönherr*.

Statura & fere magnitudo *L. lucidæ* vel *compressicornis*. Caput intra thoracem omnino retractum & occultatum, testaceum, oculis magnis fusco-brunneis. Palpi fuscescentes. Antennæ dimidio corpore longiores, valde compressæ, nigro-fuscæ. Thorax semi-circularis, basi sinuatus, pallidus sive albidus, obsolete punctatus, disco postico elevatiore canaliculato fusco-brunneo. Scutellum oblongum, apice obtuse rotundatum, pallidum. Elytra elongata, antice thorace paullo latiora, versus apicem nonnihil angustiora, supra parum convexa, crebre subtiliter punctulata, margine laterali & suturali fere totis, vittaque interiore disci abbreviata in quovis elytro testaceis. Pectus obscure testaceum, vix punctulatum. Venter pallidus, segmentis quatuor anterioribus in medio transversim infuscatis. Alæ obscure fuscæ. Pedes elongati testacei, genubus tarsisque paullo obscurioribus. GYLLENH.

30) LAMPYRIS ALBI-LATERA: elongata testacea, elytris fuscis, latere exteriore inæqualiter albido; abdomine basi nigro, segmentis quatuor ultimis albi, antennis longis fuscis.

Habitat in America meridionali. Dom. *Comes de Hoffmansegge*. Mus. *Gyllenh*.

Statura & fere magnitudo præcedentis. Caput sub thorace omnino occultatum, fronte profunde impressa fusca, ore pallidiore; oculi magni brunnei. Antennæ dimidio corpore longiores, sub-compressæ, pilosæ, fuscæ. Thorax semi-circularis, basi sinuatus, supra parum convexus, pallidus, crebre punctulatus, tenue pubescens, disco posteriore magis elevato, fusco-ferrugineo. Scutellum oblongum, apice rotundatum, pallidum. Elytra thorace paullo latiora, valde elongata, apicem versus nonnihil angustata, supra parum convexa, fusco-brunnea, creberrime punctulata, tenue pubescentia; margo lateralis a basi ultra medium inæqualiter albidus, & sutura anguste pallida. Pectus obscure testaceum, tenue pubescens; abdominis segmenta quatuor priora nigro-brunnea, reliqua albida, parum lutescentia. Pedes elongati pallidi, tarsis fuscescentibus. GYLLENH.

31) LAMPYRIS MIXTA: nigricans, thorace pallido rufescenti-irrorato, elytrorum limbo pallido, segmentis duobus ventralibus antepenultimis niveis.

Habitat in Indiis. Dom. *Kymell.* Mus. *Gyllenh.*

Magnitudo & statura præcedentium. Caput sub thorace occultatum, nigro-fuscum, fronte impressa, ore dilutiore; oculi magni nigro-brunnei. Antennæ longitudine dimidii corporis, compressæ, nigræ. Thorax semi-circularis, basi sinuatus, supra parum convexus, pallide testaceus, punctatus, hinc inde rufescenti-irroratus, disco obscurius rufo-brunneus. Scutellum apice rotundatum fuscum. Elytra thorace parum latiora, valde elongata, nigro-fusca, confertissime punctulata, margine exteriore toto latius, suturaque anguste pallidis; in disco lineæ tres elavatæ obsoletæ. Pectus fusco-testaceum, tenue pubescens. Abdominis segmenta quatuor prima nigra, quintum & sextum nivea, septimum parvum, late emarginatum, fuscum, ultimum iterum nigrum. Pedes elongati fusco-testacei pubescentes.

GYLLENH.

32) LAMPYRIS EXIGUA: oblonga ferruginea, thorace transverso, capite, antennis tarsisque fuscis, elytris confertissime rugoso-punctatis fuscis, marginibus pallidis.

Habitat in Insula Solo maris Pacifici. Dom. *Osbeck.* Mus. *Schönherr.*

Statura omnino *L. Italicæ*, *Japonicæ*, &c., sed plus duplo minor. Caput quoad partem extra thoracem por-

rectum, nigro-piceum, fronte impressa, oculis magnis brunneis. Antennæ capite cum thorace paullo longiores, pubescentes, nigro-fuscæ, basi pallidiores. Thorax brevissimus transversus, basi apiceque sinuato-truncatus, marginibus undique reflexis, supra in disco convexus, in medio sat profunde canaliculatus, & intra marginem utrinque foveola impressus; totus ferrugineus vel rufo-testaceus, crebre punctulatus, tenue pubescens. Scutellum oblongo-triangulare testaceum. Elytra thorace latiora, valde elongata, sub-linearia, apice rotundata, supra modice convexa, creberrime subtiliter coriaceo-rugulosa, tenue pubescentia, fusco-brunnea, margine laterali latius, suturali angustius, inæqualiter pallidis. Alæ amplæ fuscæ. Pectus ferrugineum: venter basi fuscus, in medio albidus, segmentis duabus ultimis testaceis. Pedes longiusculi pallide testacei, tarsis fuscescentibus. GYLLENH.

33) LAMPYRIS ICTERICA: elongata sub-depressa luteo-testacea, elytris fusco-brunneis, thorace semicirculari nitido lævi, abdomine serrato.

Habitat in India. Mus. *Schönherr*.

Statura *L. noctilucæ*, sed dimidio major. Caput sub thoracis clypeo omnino occultatum, luteo-testaceum, pubescens, oculis magnis nigro-brunneis; antennæ fere longitudine thoracis, cylindricæ, pubescentes, totæ luteo-testaceæ. Thorax fere semi-circularis, latitudine baseos multo brevior, basi sinuatus, undique reflexo-marginatus, & intra margines depressus, lutescens, pilis parvis concoloribus parce adspersus, disco posteriore magis elevato, saturatius luteo-testaceo nitido lævi. Scutellum semi-ovale, luteo-testaceum, læve. Elytra thoracis basi latiora, humeris prominulis, valde elongata, apicem versus attenuata, supra parum convexa, fusco-brunnea, lateribus & postice pallidiora, undique crebre rugoso-punctata, lineisque tribus elevatis, at obsoletis, in singulo notata. Corpus totum subtus luteo-testaceum nitidum, abdominis lateribus profunde serratis. Pedes breviusculi compressi, toti luteo-testacei nitidi.

GYLLENH.

34) LAMPYRIS LINEATA: breviter ovata, griseo-pallida, tenuissime pubescens, elytris fuscescentibus, macula marginali quadrangula albida, disco lineis tribus pallescentibus.

Habitat in Brasilia. Dom. *Comes de Hoffmansegge.* Mus. *Gyllenh.*

Statura fere *L. maculatæ*, sed paullo minor, præsertim brevior. Caput sub thorace omnino occultatum, obscure testaceum, oculis globosis nigro-brunneis remotis. Antennæ filiformes, longitudine dimidii corporis, basi testaceæ, extrorsum nigricantes. Thorax fere triangularis, basi latissimus, sub-sinuatus, antrorsum attenuatus, lateribus nonnihil repandus, parum reflexus; supra antice in medio pallidus, disco postico elevatus fusco-piceus, lateribus griseus, undique pube brevi depressa grisea dense adspersus. Scutellum obtuse triangulare fuscum pubescens. Elytra antice thorace adhuc latiora, humeris rotundatis, thorace vix triplo longiora, apicem versus valde angustata, simul sumta fere triangularia vel cordiformia, supra valdeconvexa, subtiliter obsolete punctulata, pube simili uti thorax adspersa, fusca, humeris sub-testaceis; in medio marginis lateralis macula sub-quadrangula, extrorsum paullo latior, oblique posita, pallida seu albida, & in disco interiore cujusvis elytri lineæ tres longitudinales pallescentes parallelæ. Alæ fuscæ. Pectus testaceum, sub-nitidum; venter fusco-brunneus nitidus, basi apiceque dilutius testaceus. Pedes breviusculi testacei, tibiarum apice tarsisque fuscescentibus. GYLLENH.

35) LAMPYRIS DORSALIS: oblongo-ovata, luteo-testacea, thorace semi-circulari, antice albido-pellucido, elytrorum dorso antice brunneo.

Habitat in Insula Barthelemy, Dom. *Fahlberg.* Mus. *Schönherr.*

L. maculata dimidio minor, præsertim angustior, oblongo-ovalis. Caput sub thorace omnino occultatum, testaceum, oculis magnis brunneis, æneo-micantibus, approximatis. Antennæ thorace paullo longiores, filiformes, basi testaceæ, extrorsum brunneæ. Thorax semi-circularis, basi truncatus, parum sinuatus, marginibus undique elevato-reflexis, luteo-testaceus, pube tenuissima depressa, certo situ auro-micante adspersus; juxta apicem maculæ duæ transversæ albido-pellucidæ, & discus posticus valde elevatus fusco-brunneus, in cujus medio lineolæ duæ longitudinales flexuosæ testaceæ. Scutellum obtuse triangulare fusco-brunneum. Elytra thoracis basi vix latiora, sed illo quadruplo longiora, apicem versus angustata, supra convexa, ob-

solete punctulata, pube subtilissima concolore parce adspersa, luteo-testacea, dorso antico rufo brunneo; in disco interiori singuli elytri, lineæ tres elevatæ obsoletæ. Thorax subtus testaceus; pectus & abdomen magis brunnea. Pedes mediocres testacei, tarsis obscurioribus. GYLLENH.

LYCUS.

36) LYCUS PRAEMORSUS: niger, supra flavus, thoracis disco elytrorum apice maculaque marginali nigris; elytris humero membranaceo-cornutis, apice emarginato-truncatis, margine laterali dilatatis.

Habitat in Sierra Leona D. *Afzelius*. Mus. *Schönh.*

Magnitudo & fere statura *L. latissimi*, ob structuram elytrorum tamen multo brevior apparet. Caput nigrum, rostro longitudine thoracis. Antennæ compressæ, nigræ, vix longitudine dimidii corporis. Thorax parvus antice rotundatus, postice latior truncatus, excavatus, margine laterali reflexo flavo-testaceo, disco subplano nigro. Scutellum nigrum. Elytra ampla, margine laterali valde dilatato rotundata, apice late & abrupte emarginato truncata, angulis acutis; flavo-testacea macula in medio marginis sub-rotundata nigra, cum nigredine lata apicis sæpe confluente; supra plana, crebre & irregulariter reticulata; in singulo elytro costæ duæ præter suturam, & præterea margo humeralis elevatus, compressus, postice excisus, apice superiore acutissimo. Corpus subtus nigrum, pedibus compressis nigris. Alæ obscuræ. Tab. 5. fig. 1. — b. spina humeralis elytrorum, magn. aucta. DALMAN.

37) LYCUS CORNIGER: niger, supra flavus, thoracis disco, elytrisque postice nigris; humeris membranaceo-cornutis, margine laterali dilatato.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo, statura & affinitas præcedentis, distinctus tamen videtur. Caput & thorax ut in illo. Elytra flavo-testacea, postice late nigra, absque macula marginali; apice obtusa, non vero ut in præcedente emarginato-truncata, sed angulis rotundatis haud prominulis. Differt præterea a præcedente elytris minus reticulatis, fortius pubescentibus, margine minus dilatato, & costa secunda a sutura longe fortiori, magisque ele-

vata. Humeri cornu vel spina, illius multo acutiori, armati. Corpus subtus nigrum, abdomine lateribus flavo; pedes compressi nigri; alæ obscuræ. — Tab. 5. fig. 2. — b. spina humeralis magn. aucta.

DALM.

38) LYCUS FOLIACEUS: corpore luteo; supra flavus, thorace immaculato, elytris amplissimis dilatatis, apice nigricantibus, humeris elevatis inflatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Statura & affinitas *L. palliati*, sed multo major, fere maximus hujus generis nobis visus; forma, colore corporis thoracisque luteo immaculato, distinctissimus. Caput & rostrum, vix longitudine thoracis, nigricantia. Antennæ nigræ, compressæ, thorace triplo longiores. Thorax flavo-testaceus, immaculatus, antice rotundatus, postice latior, truncatus, carina media longitudinali; margo lateralis dilatatus, elevatus, sinuatus, postice angulis acuminatis, profunde impressis. Scutellum oblongum, fulvum, pubescens, apice depressum. Elytra amplissima, thorace plus quintuplo longiora, ante medium valde dilatata, margine tamen haud distincto ut in præcedentibus; sub-coriacea tota, vel e lineis quatuor longitudinalibus, ramulisque pluribus transversis irregularibus conferte reticulata; apice rotundata, angulo suturali nonnihil prominulo; flavo-testacea, apice nigro-infuscata, nigredine juxta suturam & marginem lateralem inæqualiter dilatata. Humeri valde elevati, inflati: non compressi vel dilatati ut in præcedentibus. Corpus subtus luteum, pedibus compressis nigro-piceis. Alæ flavescentes, apice nigræ. — Tab. 5. fig. 4.

DALM.

39) LYCUS XANTHOMELAS: corpore luteo, antennis pedibusque nigris basi luteis; thorace immaculato: elytris costatis, postice nigris, margine non dilatatis.

Habitat — — — Mus. Dom. *Gyllenh*.

Valde affinis videtur *L. foliaceo*, ejusdemque longitudinis, elytrorum forma vero omnino aliena, scilicet margine non dilatata, nec humeris adeo inflatis, costis vero multo distinctioribus, elevatioribus. Caput rostratum, obscure testaceum, oculis palpisque nigro-fuscis. Antennæ compressæ, thorace triplo longiores, basi obscure testaceæ. Thorax supra infraque luteus totus, tenue pubescens, immaculatus, antice rotundatus, posti-

ce multo latior truncatus, margine laterali dilatato elevato nonnihil sinuato, angulis posticis apice rotundatis, minus profunde impressis quam in *L. foliaceo*; discus supra divisus carinula longitudinali, in medio subinterrupta, & postice utrinque foveola obsoletiore impressus. Scutellum nigrum apice lutescente depresso. Elytra elongata, basi thorace latiora, pone medium nonnihil dilatata, apice rotundata luteo-testacea, postice late & indeterminate nigra; costis quatuor præter marginem & suturam, spatio subæquali remotis, notata, quarum prima & quarta a sutura distinctiores, magis elevatæ, tertia vero obsoleta & obliterata, postice evanescens; interstitia crebre punctulata, ramulisque transversis anastomosantibus parcius & obsoletius reticulata. Elytrorum humeri elevati, mutici; anguli suturales rotundati. Corpus subtus luteum pube tenui flavo-sericea parcius vestitum, pectore nigricante, abdomi e nigro-maculato. Pedes compressi, nigro-fusci, femoribus basi rufo-testaceis. Alæ flavescentes apice fuscæ. — Tab. 5. fig. 5. DALM.

40) LYCUS PALLULATUS: niger, thoracis angulis anticis, elytrisque elongatis, testaceis; his apice nigris.

Habitat in Cap. bonæ Spei. Mus. *Schönh.*

Affinitas summa *L. palliati*, corpus & thorax ut in illo omnino, elytrorum pictura quoque eadem; differt non nisi elytris longioribus, angustioribus, unde forma *L. proboscidei* &c. Elytra obsoletius reticulata, margine haud dilatato. Forte non nisi alter sexus præcedentis?

Respectu coloris elytrorum occurrunt varietates varietatibus præcedentis speciei omnino analogæ, scilicet:

α. elytris apice angustius nigris, sutura non infuscata.

β. elytris apice latius nigris, sutura ad scutellum infuscata. — Tab. 5. fig. 6. DALM.

41) LYCUS DENTIPES: niger, thoracis lateribus elytrisque latissimis, flavis; his macula basali apiceque nigris; femoribus posterioribus dentatis.

Habitat in Cap. bon. spei. Mus. *Schönh.*

Forte non nisi mas *L. rostrati*; statura trunci & facies fere ut in illo, scilicet thoracis discus fere totus niger, elytrorum macula magna basalis ad scutellum & apex sinuatim nigra; major vero est, & præsertim in elytris fere duplo latior, magnitudine cum *L. foliaceo*

certans, elytris pone medium valde dilatatis, margine laterali reflexo. Humeri valde elevati, inflati; sutura non infuscata. Corpus subtus nigrum, abdomine lateribus luteo. Pedes validi nigri, femoribus posterioribus subtus dente valido, sub-obtuso, armatis. Alæ pallidæ, apice nigræ.

Lycus rostratus Fabr. (1) differt: corpore paullo minori, elytris angustioribus, humeris non inflatis, femoribusque omnibus muticis. Dalm.

42) Lycus melanurus: elongatus, niger, supra luteus thoracis disco, elytrisque postice sinuatim nigris, humeris margineque laterali dilatatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönh.*

Affinitas *L. latissimo* sed multo longior, colore obscuriore, absque macula elytrorum marginali. Corpus totum subtus nigrum, rostro fere longitudine thoracis, antennis pedibusque compressis, illis dimidium corporis non attingentibus. Thorax antice rotundatus, apice medio tamen prominulo, subcarinato, margine laterali dilatato, elevato, nonnihil sinuato; postice sinuatim truncatus, angulis sub-deflexis; luteus, vitta disci lata nigra. Scutellum nigrum. Elytra thorace plus quadruplo longiora, apice rotundata, lutea, subtilissime pubescentia, postice late nigra, nigredine antice versus margines sinuatim dilatata, tota obsolete & irregulariter reticulata, margine laterali dilatato, humeris productis dilatatis marginatis, rotundatis integris; in utroque elytro costæ duæ elevatiores, aliaque humilior, e margine humeri continuata. Sutura nigro-infuscata. — Tab. 5. fig. 7.

Dalm.

43) Lycus sinuatus: elongatus niger; supra flavus, thoracis linea nigra; elytris postice attenuatis, apice sinuatim nigris.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr.*

Respectu coloris affinis videtur *L. melanuro*, quoad formam vero *L. terminato*, sed ab utroque distinctus magnitudine, qua illis fere dimidio cedit; elytris versus apicem attenuatis, haud rotundatis, humeris margineque laterali multo minus dilatatis, lineaque thoracis angustiore. Caput nigrum, rostro antennisque compressis, nigris. Thorax testaceus, linea media inæquali nigra; antice rotundatus, postice truncatus, late-

ribus dilatatis reflexis, angulis posticis acuminatis, profundis, discus foveolis nonnullis inæqualis, media distinctiore. Scutellum nigrum. Elytra thorace quadruplo longiora, in medio paullo dilatata, postice attenuata; testacea l. lutea, apice vix ad tertiam partem nigra, nigredine utriusque elytri antice prope suturam emarginata; sutura tenue infuscata. Elytrorum margo parum dilatatus, humeri nec inflati, nec dilatati; costæ ut in affinibus, interstitiis reticulatis. Corpus subtus nigrum, pedibus compressis nigris; alis obscuris. — Tab. 5. fig. 8. DALM.

44) LYCUS TERMINATUS: supra luteus, thoracis disco, elytrisque postice transversim nigris; margine laterali modice, humeris vix dilatatis.

Habitat in Sierra Leon. D. *Afzelius*, Mus. *Schönh.*

Magnitudo & summa affinitas præcedentis, sed differt elytris nonnihil brevioribus, humeris longe minus dilatatis, costis vero elytrorum omnibus elevatioribus, ut & nigredine totam occupante posteriorem partem, antice rotunde non sinuatim determinata, suturaque minime infuscata. Abdomen maxima parte luteum, maculis mediis anoque nigris. Caput & thorax fere ut in præcedente, angulis posticis tamen profundioribus, nec deflexis. — Tab. 5. fig. 9. DALM.

45) LYCUS LATERALIS: niger, margine thoracis antico & laterali abdominisque flavis; elytris obsoletius reticulato-rugosis, flavis, apice nigris.

Habitat — — Mus. D. *Gyllenh.*

Magnitudo & fere statura *Lyci Auroræ.* Caput nigrum, rostro fere longitudine thoracis; antennæ compressæ nigræ, thorace triplo longiores. Thorax niger, margine antico, & laterali dilatato elevato, late flavis; antice rotundatus, in medio carinatus, postice latior, truncatus, angulis nonnihil extrorsum flexis, ipso apice rotundatis. Scutellum nigrum. Elytra basi thorace latiora, apice rotundata, angulo suturali rotundato; flavo-testacea, apice nigra, nigredine antrorsum denticulata, vix sextam elytri partem occupante; in singulo elytro lineæ longitudinales elevatæ quatuor, æquali spatio remotæ, interstitiis ramulis transversis & anastomosantibus vage & obsoletius reticulato-rugosis. Humeri nonnihil elevati, costa quarta a sutura ibique incrassata. Corpus subtus nigrum, abdomine lateribus luteo; pedibus nigris compressis. Alæ flavescentes apice infuscatæ.

Obs. Huic valde affinis est species a nobis pro *L. proboscideo* Fabr. Oliv. habita; quæ vero nonnihil major, & præterea differt: abdomine nigro toto, immaculato; thoracis margine ipso crassiore, & nigredine disci usque ad apicem extensa. Costæ elytrorum in eo quoque distinctiores, & alæ haud flavescentes sed obscuræ nigro-fuscæ. DALM.

46) LYCUS ANALIS: testaceus, antennis pedibusque nigris, basi testaceis; elytris apice nigris.

Habitat in India orientali. Dom. *Gröndal*. Mus. *Schönh*.

Magnitudo, statura & affinitas *L. præusti*. Antennæ compressæ nigræ, basi testaceæ. Caput testaceum oculis nigris; rostrum elongatum testaceum, ore fusco. Thorax antice sub-acuminatus, lateribus rotundatus, margine dilatato reflexo, postice truncatus, angulis vix acuminatis, testaceus totus; pubescens, disco foveolis duabus impressis, basalibus, & antice carinula apicali. Scutellum oblongum, testaceum, apice emarginatum. Elytra ad basin thorace haud latiora, quadruplo longiora, postice sensim latiora, apice singulatim rotundata; in singulo elytro costæ quatuor, præter suturam & marginem, parum elevatæ, interstitiis punctato-rugosis. Alæ pallidæ apice infuscatæ. Corpus subtus testaceum, immaculatum, pube densa sericea vestitum. — Tab. 5. fig. 10. DALM.

47) LYCUS MILITARIS: luteus, elytris postice violaceis, antennis pedibusque nigris.

Habitat — — Mus. *Schönherr*.

Magnitudo & affinitas *L. punctati* Oliv., sed punctis nullis albis in elytris postice. Caput nigrum, ore pallidiore, rostro brevissimo; antennæ compressæ nigræ. Thorax luteo-testaceus immaculatus, undique marginatus, basi profunde sinuatus, angulis acuminatis, lacinia media ante scutellum elevata; lateribus sub-rectis, elevatis; antice sinuatus, lobo medio porrecto, elevato, apice rotundato; carina dorsalis distincta, ultra medium thoracis producta, ibique bifida desinens. Scutellum luteum, apice acuminatum. Elytra ad basin thorace latiora, illoque plus quadruplo longiora, apice rotundata, antice luteo-testacea, postice dimidiate violacea; in utroque elytro costæ tres præter suturam & marginem, valde elevatæ, interstitiis sericeo-pubescentibus, nec punctatis, nec reticulatis. Corpus subtus te-

staceum, pube densa sericea vestitum, pedibus nigris, femoribus basi luteis. Alæ pallidæ, apice obscuriores.

DALM.

48) LYCUS PALLIDUS; elongatus, linearis, subtus nigro-cærulescens, supra pallide testaceus, thorace sulcato, postice sinuato; elytris striatis, crebre reticulato-punctatis.

Habitat in Insula Solo maris australis. D. *Osbeck*. Mus. *Schönh*.

Lyco Aurora vix latior, sed multo longior. Caput nigrum, rostro brevi. Thorax testaceus, immaculatus, marginatus, antice rotundatus, margine laterali reflexo; postice fere duplo latior, utrinque sinuatus angulis acuminatis acutis, in medio ante scutellum emarginatus: in dorso sulcus longitudinalis profundus, antice posticeque angustatus, utrinque cinctus costa elevata; præterea in medio utrinque costa transversa humilior, obsoletior: ipse margo lateralis thoracis infra visus, excavatus, vel sub-bifoveolatus. Scutellum testaceum, apice emarginatum. Elytra basi thorace latiora, illoque quintuplo longiora, sub-linearia, apice rotundata, pallide testacea, longitudinaliter crebre reticulato-punctata. Corpus subtus nigro-cærulescens, pedibus compressis fuscis; alæ obscuræ.

DALM.

49) LYCUS OCHRACEUS: subtus ater, supra ochraceus, thoracis disco nigro, elytris striatis reticulato-punctatis.

Habitat in Nova Hollandia. Dom. *Hooker*. Mus. *Schönh*.

Magnitudo & fere statura *L. pallidi*. Caput nigrum, rostro longiori; antennæ compressæ nigræ. Thorax apice lateribusque rotundatus, basi truncatus, bi-sinuatus, angulis sub-prominulis; testaceus, disco toto nigro; dorso inæqualis, costis foveolisque fere ut in *Lyco Aurora*. Elytra thorace latiora, elongata, postice rotundata, ochracea, ad scutellum infuscata; in singulo coste quatuor elevatæ, interstitiis omnibus rugis transversis crebris, costaque alia humiliore. Corpus & pedes nigra. Alæ obscuræ. — Tab. 5. fig. 11.

DALM.

50) LYCUS RUBENS: niger, holosericeo-pubescens, supra sanguineus, thorace sub-lævi, elytris costatis, reticulato-punctatis.

Habitat Norimbergæ. Dom. *Sturm*. Mus. *Schönh*.

L. minuto quoad magnitudinem & staturam simillimus, sed antennarum apex niger, thorax sanguineus, parum inæqualis, &c. Caput deflexum nigrum, ore fronteque rufis; palpi maxillares magni nigri; antennæ dimidio corpore longiores, parum serratæ, pubescentes, nigræ, articulis primis sanguineo-holosericeis. Thorax transversus, anterius angustior, rotundatus, lateribus & postice sinuatus, undique reflexo-marginatus, sanguineus, disco impresso fuscescente; in disco antico ut & in medio laterali utrinque, rudimenta costarum elevatarum, at obsoleta. Scutellum oblongum fuscum, pube sanguinea vestitum, apice emarginatum. Elytra lineari elongata sanguinea, holosericeo-pubescentia, costis in singulo quatuor longitudinalibus elevatis, interjectis seriebus duplicibus punctorum impressorum, unde concinne reticulata evadunt. Alæ longæ fuscescentes. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, vix punctulatum. Pedes fusci, tarsuum spongiis unguibusque ferrugineis. GYLLENH.

51) LYCUS FLABELLATUS: niger, thoracis lateribus elytrisque reticulato-striatis, testaceis, postice transversim nigris; antennis maris pectinatis.

Habitat in Sierra Leona. D. *Afzelius*. Mus. *Schönh.*

Parvus, femina *Lyco minuto* æqualis, mas fere duplo minor. Caput nigrum haud rostratum; antennæ compressæ nigræ, maris pectinatæ, dentibus apice latioribus, feminæ profunde serratæ. Thorax sub-quadratus, antice sub-sinuatus, rotundatus, postice truncatus; margo reflexus testaceus; discus nigro-fuscus, costis elevatis anastomosantibus in areolas nonnullas divisus, quarum media longitudinalis lanceolata, utrinque acuta, & anteriores duo reliquis distinctiores. Scutellum nigrum. Elytra thorace latiora, elongata, testacea, postice transversim nigro-infuscata, maris magis quam feminæ; in singulo costæ quatuor elevatiores, interstitiis punctato-reticulatis, costa humiliori divisis. Corpus subtus nigrum. Pedes compressi, nigri, femoribus basi testaceis. Alæ obscuræ. DALM.

52) LYCUS CANALICULATUS: nigro-fuscus, thorace postice canaliculato elytrisque pallide ochraceis, antennis acute serratis, summo apice pallidis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Mus. *Schönh.*

Statura *Lyci Auroræ*, sed maximis ejus paullo major. Caput retractum nigrum, ore parum producto, apice

pilis ochraceis barbato. Palpi omnes apice pallidi. Antennæ basi approximatæ, arcuatim divaricatæ, compressæ, acute serratæ vel sub-pectinatæ, nigræ, articulo ultimo lanceolato extrorsum flavescente. Thorax transversus pallidus, disco posteriori infuscatus, antrorsum triangulariter productus, a fronte visus bi-marginatus, lateribus rectis, subtus in auris formam excavatis; basi bi-sinuatus, lobo medio elevato, sub-emarginato; margo undique elevatus, præsertim postice, unde discus impresso-excavatus evadit, in cujus dorso linea longitudinalis valde elevata, a medio ad basin in duas divisa, canaliculam vel foveam distinctam lanceolatam includens, & anterius utrinque lineola alia elevata obliqua, obsoletior. Scutellum oblongum nigricans, apice profunde emarginatum. Elytra valde elongata, sub-linearia, apice rotundata, tota pallide ochracea, concinne costato-reticulata, ut in *L. Aurora*, in singulo elytro nempe costæ quatuor longitudinales parallelæ elevatiores, præter marginem & suturam, & in singulo interstitio linea elevata humilior, omnes nervis multis elevatis transversis connexæ, unde perfecte reticulata evadunt elytra, areolis transversim oblongo-quadratis. Alæ obscure fuscæ. Pectus fuscum. Abdomen atrum nitidum, stylo ani pallido. Pedes compressi nigro-fusci seu umbrini, femoribus tibiisque subæqualibus, obsolete canaliculatis; tarsuum articuli bifidi, subtus cinereo-spongiosi. AD. AFZELIUS.

MYLABRIS.

53) MYLABRIS BILLBERGI: villosa nigra, elytris pallide testaceis, punctis quinque margineque apicis nigris, antennis 9-articulatis, clava magna arcuata.

Var. β. duplo minor, elytris punctis tantum tribus intra-marginalibus nigris.

Habitat in Hispania, a Dom. *Dejean* benevole communicata, nomine *Myl. clavicornis*. Mus. *Schönherr*.

Parva, *M. crocata Oliv.* dimidio minor & ultra. Caput magnum deflexum nigrum nitidum creberrime punctulatum, densius fusco-villosum, oculis oblongis glaucis. Antennæ vix longitudine thoracis, pilosæ, nigræ, articulis novem tantum compositæ, primo magno crasso ob-conico; secundo etiam crasso, sed brevi, sub-orbiculato tertio elongato, angustiore; 4-7 ob-conicis, sub-æqualibus; octavo multo crassiore, brevi, cyathiformi; nono seu ultimo maximo arcuato, sub-acuminato.

Thorax antice latior, lateribus valde deflexus, apice obtuse rotundatus, supra parum convexus, inæqualis, totus niger, sub-nitidus, creberrime punctatus, fusco-villosus, fovea oblonga in medio baseos impressus. Scutellum parvum rotundatum nigrum punctatum. Elytra thoracis basi latiora, & in illo quintuplo longiora, apice singulatim rotundata, supra convexa, pallide testacea, confertissime ruguloso-coriacea, pube brevissima fuscescente dense adspersa; in singulo puncta quinque nigra, quarum primum pone humerum, sinuato-irregulare; secundum oblique ei oppositum versus suturam, sub-rotundum; tertium juxta marginis medium, majus, difforme; quartum illi recta oppositum juxta suturam, rotundatum; quintum versus marginem inferiorem apicis, majusculum, ovatum; margo ipse apicis anguste niger, aut totus, aut externe tantum. Corpus subtus nigrum nitidum, subtilissime punctulatum, tenue pubescens. Pedes elongati nigri pubescentes, crebre subtilissime punctulati.

VAR. β, dimidio minor; punctum dorsale anterius in elytris omnino deest, & loco posterioris punctulum tantum minutissimum observatur; cetera ut in α omnia.

OBS. Numerus articulorum in antennis *Mylabridum* non semper idem; in plerisque quidem antennæ 11-articulatæ, ut a Dom. Latr. & Billb. descriptæ; at in *M. lunata* Fabr. & Billb. modo 10-articulatæ, & in *M. Hermanniæ* Fabr. & Billb. tantum 9-articulatæ, omnino ut in jam descripta specie. GYLLENH.

In memoriam Dom. *Gust. Joh. Billberg*, Consiliarii Regii a Rationibus Publicis, Entomologi indefessi, qui edidit "Monographiam Mylabridum" quique hoc opusculum variis descriptionibus ornavit. SCHÖNH.

54) MYLABRIS VARIANS: sub-villosa nigra nitida, elytris fulvo-testaceis, subtilissime coriaceis, punctis paucis nigris sparsis.

Habitat in Hispania. Dom. *A. Dejean.* Mus. *Schönh.*

Statura & similitudo *M. crocatæ Oliv.* & *Billberg*, sed corpus parcius pubescens, magis nitidum, elytra multo minus rugulosa & puncta illarum pauciora, indeterminata. Caput magnum, deflexum, nigrum, nitidum, parce fusco-pubescens, obsolete punctulatum, oculis oblongis brunneis. Antennæ longitudine thoracis, modice clavatæ, nigræ. Thorax anterius paullo latior, lateribus valde deflexus, apice obtuse rotundatus, anguste marginatus, supra modice convexus, niger nitidus, crebre punctulatus, parce pubescens, fovea oblon-

ga in medio baseos impressus. Scutellum nigrum nitidum, apice rotundatum. Elytra thorace latiora & illo quintuplo longiora, apice obtuse rotundata, supra convexa, luteo-testacea sub-nitida, vix pubescentia, subtilissime coriacea, lineis tribus elevatis obsoletis in singulo notata; ante medium juxta suturam punctum nigrum, jam parvum rotundatum, jam majus angulatum; punctum alterum versus apicem, etiam juxta suturam; in alio specimine punctum tertium versus marginem inferiorem apicis, & in medio disci puncta 2 vel 3 parva, approximata, quæ tamen in aliis desiderantur. Corpus subtus nigrum nitidum, crebre punctulatum, parce pubescens. Pedes elongati nigri, rugoso-punctati.

GYLLENH.

55) MYLABRIS DEJEANII: lineari-elongata nigra, villosa, subtiliter punctulata, elytris pallide testaceis, maculis duodecim nigris, interioribus baseos sutura confluentibus.

M. elongata. Dom. *Dejean* in litteris.

Habitat in Hispania. Dom. *Dejean*. Mus. *Schönh.*

Parva, angusta, *M. flexuosa* Billb. Monogr. p. 39. 25, cui affinis, triplo minor. Caput magnum deflexum nigrum nitidum, crebre, sed subtiliter & obsolete punctulatum, dense fusco-villosum; oculis oblongis glaucis. Antennæ longitudine thoracis, 11-articulatæ, nigræ. Thorax antice fere angustior, lateribus valde deflexus, in medio nonnihil dilatatus, basi sub-truncatus, tenue marginatus, angulis rotundatis; supra parum convexus, niger nitidus, subtilissime & obsolete punctulatus, fusco-villosus, intra basin parum impressus. Scutellum parvum obtusum nigrum, parce punctulatum. Elytra thorace dimidio latiora & illo quintuplo longiora, linearia, apice singulatim rotundata, pallide testacea, confertissime subtiliter ruguloso-punctata, pube brevi fusca dense adspersa; in singulo maculæ sex nigræ; prima humeralis, magna, oblongo-ovata; secunda illi opposita, etiam magna, difformis per suturam, ad elytrorum basin usque denigratam, cum macula alterius elytri conjuncta; tertia juxta medium marginis lateralis, magna, breviter ovata; quarta versus suturam, tertiæ opposita, minor, obliqua; quinta juxta marginem, apicem versus, minor, angulata; sexta illi opposita versus suturam, adhuc minor, rotundata. Corpus subtus nigrum, crebre subtilissime punctulatum, fusco-villosum. Pedes elongati tenues nigri, parce pilosi.

Obs. Ab *M. maculata* Billb. Monogr. p. 59. n. 41. var. ♂, cui quoad macularum numerum & situm propinqua, manifeste differt: Statura multo longiore & graciliore, elytris subtilissime tantum rugulosis, maculis interioribus baseos elytrorum sutura nigra conjunctis, maculisque posterioribus nunquam in fascias confluentibus. Gyllenhal.

Ingratam memoriam Entomologi oculatissimi. Dom. Lib. Bar. A. Dejean, Prefecto Militari Regni Gallici Illustri conservandam, cujus benevolentia plurima Insecta prætiosa Europæ meridionalis obtinui, hanc speciem nomine ejus venerabili designandam proponit Schönherr.

RIPIPHORUS.

56) Ripiphorus 4-maculatus: obscure ferrugineus, ruguloso-punctatissimus, antennis extrorsum, elytrorum plaga magna disci maculaque humerali nigris.

Habitat in Hungaria. Dom. *Megerle*. Mus. *Gyllenhal* e Mus. *Schneideri*.

Statura *R. bimaculati Fabr.* & maximis ejus individuis æqualis, *R. paradoxo* duplo major. Caput breve, verticale, inflexum, obscure ferrugineum, creberrime punctulatum, fronte plana, glabra, sub-nitida, vertice valde elevato, carinato, occipite opaco, tenue pubescente; os ferrugineum, mandibulis validis nigro-piceis; oculi oblongi glauci. Antennæ capite parum longiores, basi ferrugineæ, extrorsum nigro-piceæ, compressæ, subtus acute serratæ. Thorax oblongus, gibbus, anterius angustior, basi bi-sinuatus, angulis lateralibus acuminatis, lobo medio producto, obtuso, obsolete carinato; supra in dorso valde convexus, gibbus, posterius deplanatus; totus obscure ferrugineus, umbra oblonga fuscescente in dorso posteriori utrinque; undique confertissime rugoso-punctatus. Scutellum minutum, absconditum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, & illo vix duplo longiora, versus apicem valde attenuata, acutissima, supra parum convexa, inæqualia, punctis & rugulis elongatis, partim obliquis, confertissime exarata, obscure ferruginea; in ipso humero macula rotundata nigra, sub-nitida, & paullo posterius plaga magna, antice acuminata, totum fere discum occupante, obscure nigra. Alæ amplæ fuscæ. Corpus subtus valde convexum, totum obscure ferrugineum, obsolete fusco-irro-

ratum, creberrime & subtilius quam supra punctulatum, pilisque minutis depressis metallico-nitidis adspersum. Pedes elongati, obscure ferruginei, creberrime rugoso-punctati, femoribus tibiisque posticis apice nigro-piceis.
GYLLENH.

ANASPIS.

57) ANASPIS 4-MACULATA: nigra, thorace flavo basi fusco, elytris fuscis, maculis quatuor magnis transversis flavis.

Habitat in Hispania. Dom. *Dejean.* Mus. *Schönh.*

Minuta, *A. ruficolli Fabr.* dimidio minor. Caput inflexum nigrum, pube subtilissima albida adspersum, ore late flavo; oculi magni oblongi brunnei. Antennæ dimidio corpore longiores, a basi ad medium flavæ, dein paullo crassiores nigræ. Thorax semi-circularis, basi sinuatus, supra convexus, sordide flavus, pube subtilissima depressa cinereo-albida dense adspersus; in medio baseos plaga lata, antice rotundata, fusca. Scutellum triangulare nigro-fuscum pubescens. Elytra latitudine baseos thoracis, & illo triplo longiora, apicem versus valde attenuata, fere acuminata, supra parum convexa, nigro-fusca, pube simili uti thorax obducta; mox pone basin in singulo elytro macula magna flava, fere quadrata, antice posticeque undulata, fasciæ-formis, margines tamen non exacte attingens, & pone medium altera, angustior, etjam transversa & undulata. Alæ longæ hyalinæ. Corpus subtus nigrum nitidum, parum pubescens. Pedes elongati tenues, anteriores quatuor flavescentes, postici fusco-testacei.

OBS. *M. bifasciata,* Marsh. Ent. Br. I. 493. 18, huic, secundum descriptionem valde similis & affinis videtur, sed thorax illi: „niger, margine omni pallescente," quod nostro non competit. GYLLENH.

DONACIA.

58) DONACIA RETICULATA: sub-depressa, viridi-ænea, nitida, subtus cinereo-sericea, elytris transversim rugosis, apice attenuatis, rotundatis, femoribus posticis unidentatis.

Habitat in Italia. Dom. *Peiroleri.* Mus. *Schönherr.*

Longitudo *D. crassipedis,* sed angustior, præsertim posterius, magisque convexa; elytris apice elongato attenuatis, rotundatis, a plerisque distincta. Caput por-

rectum, fusco-æneum, crebre subtiliter punctulatum, parce cinereo-pubescens, fronte profunde canaliculata; palpi testacei; oculi prominuli, nigro brunnei. Antennæ dimidio corpore longiores, fusco-piceæ, tenue pubescentes. Thorax antice latior, margine reflexo, angulis productis, acutis, & supra angulum utrinque tuberculo elevato armatus, lateribus impressus, basi sub-truncatus, angulis parvis prominulis; supra sub-depressus, viridi-æneus nitidus, crebre rugoso-punctatus, in medio dorsi canaliculatus. Scutellum oblongo-triangulare, apice rotundatum, fusco-virescens, pube tenui cinerea adspersum, longitudinaliter obsolete carinatum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace quintuplo longiora, apicem versus valde attenuata, apice ipso rotundata, supra in dorso sub-depressa, viridia, versus latera & suturæ basin ænea, nitida, subtiliter striato-punctata, rugis crebris elevatis transversis, præsertim in medio dorsi reticulata. Corpus subtus fusco-virescens, subtilissime crebre punctulatum, pube tenui depressa cinereo-sericea tectum. Pedes elongati fusco-virescentes, sericeo-pubescentes, femoribus omnibus clavatis, posticis longioribus, versus apicem dente unico acuto armatis; tarsi fusco-picei. GYLLENH.

TRICHIUS.

59) TRICHIUS BARBATUS: niger nitidus, valde depressus, elytris sulcatis, maxillis tibiisque posterioribus densissime fulvo-barbatis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. *Ad. Afzelius.* Mus. *Schönherr.*

Majoribus *Tr. Eremitæ* individuis longitudine & latitudine æqualis, sed tam supra quam infra valde deplanatus. Caput magnum, porrectum, sub-quadratum, nigro-piceum nitidum, sat crebre punctatum, clypeo antice anguste marginato, sub-truncato, angulis rotundatis; maxilla basi cornea, picea, apice fasciculo magno e pilis densis elongatis fulvis ornata; labium magnum, latum, parum emarginatum, ligula vero profunde incisa, biloba, ambo lanugine brevi densa obscure fulva seu umbrina tecti. Palpi picei. Oculi magni laterales brunnei, hamo elevato piloso, e margine antico frontis exeunte, quasi divisis, ut in plerisque hujus generis speciebus. Antennæ breves piceæ pilosæ, clava oblonga triphylla. Thorax transversus, antice parum

emarginatus, lateribus ante medium dilatato-rotundatus, posterius angustior, basi sub-sinuatus, angulis fere rectis; supra perparum convexus, niger nitidissimus, in disco parce & subtilissime, versus latera crebrius & profundius punctatus, margine pilis umbrinis ciliato. Scutellum sub triangulare nigro-piceum, basi punctatum & fulvo-villosum, apice levissimo glabro nitidissimo. Elytra thoracis medio vix latiora, humeris rotundatis, thorace vix triplo longiora, apice singulatim rotundata, abdomine multo breviora, supra perparum convexa, nigra; in singulo elytro sulci 8 vel 9 abbreviati, nec basin nec apicem attingentes, in fundo rugulosi, & pulvere seu tomento subtilissimo umbrino obducti; tomentum ejus modi coloris etiam latera & apicem elytrorum tegit; interstitia sulcorum convexa nigra nitida, punctis vagis parce adspersa. Podex pone elytra, ut & pectus tomento simili uti elytrorum apex obducta. Abdomen subtus magis nigrum, rugoso-punctatum, parce umbrino-tomentosum; margo penultimi segmenti pilis longis fulvis ciliatus. Pedes longiusculi validi nigro-picei, crebre rugoso-punctati, pilis fulvis adspersi; tibiæ primi paris externe subtridentatæ, interiore parvo, obtuso; secundi & præcipue tertii paris tibiæ, subtus barba longa fulva vestitæ; ungulus interior primi paris subtus in medio dente valido obtuso armatus; reliqui omnes simplices arcuati æquales acuti. AD. AFZELIUS.

60.) TRICHIUS FASCIATUS: *Obs.* Signaturæ elytrorum valde variant; qualis in Svecia frequentissime occurrit hæc species, elytra gerit nigra, fasciis duabus luteis aut flavis versus suturam confluentibus, secundum diagnosin a *Cl. Linnæo* datam; fasciæ istæ plerumque latæ, interdum vero, rarius licet, angustæ, lineares, semper arcuatæ.

In *var.* β, fascia anterior lata, juxta suturam versus apicem decurrens, non vero posteriori juncta: posterior abbreviata, lunata, libera.

In *var.* γ, etiam fascia anterior lata, decurrens, posterior in medio interrupta, macula exteriore transversa, libera.

In *var.* δ, etiam fascia anterior ut in prioribus; loco fasciæ posterioris maculæ duæ liberæ, transversim positæ, exteriore majore, sub-triangulari, interiore parvo, rotundato.

In *var.* ε, fasciæ ambæ abbreviatæ, liberæ, maculas duas lunatas in singulo elytro formant, ut in Gyll. Ins. Sv. l. c. descripta.

Omnes varietates jam designatæ æqualis magnitudinis, in Svecia & Finlandia occurrunt; clypeus in omnibus profunde emarginatus, in masculis paullo angustior, obsoletissime rugulosus; in femina paullo latior, crebre & evidenter rugoso-punctatus.

Var. ζ, prioribus paullo minor; elytra lutea seu flava, macula in callo humerali parva nigra nitida, fascia media, interne abbreviata, holosericeo-atra, & plaga apicali atra, callo nitido, omnes margine nigro connexæ; clypeus ut in prioribus.

Habitat in Germania.

Var. η, adhuc minor quam proxime præcedens. Elytra luteo-ferruginea, fasciis tribus nigris, omnibus interne abbreviatis, margine nigro connexis. Clypeus minus emarginatus quam in prioribus.

Habitat in Europa Australi, Gallia.

Obs. *Trichius succinctus* genuinus Fabricii nobis ignotus. Entomologorum plurimi, præsertim Europæ meridionalis, *Sc. fasciatum* verum Cl. a Linné (*Tr. fasciatum* nostrum, α, & var. β-ε), *Tr. succinctum* nuncupant, quorum in numero etiam Dom. Latreille censendus videtur, nam character ab illo l. c. *Tr. succincto* designatus: „Elytris nigris, fasciis duabus flavis tranversis, ad suturam conjunctis," & habitatio: „locis Alpinis frigidisve peculiaris," nostro omnimodo conveniunt. Varietates nostræ ζ & η, supra allatæ, certe *Tr. fasciatus* Latreillii, & forte idem Fabricii, secundum characterem specialem illi impositum. Dum vero Cl. Fabricius in Ent. Syst. l. c. *Tr. succinctum*, „Clypeo integro, & magnitudine præcedenti duplo minori," describit, istæ notæ nulli nostrorum accommodandæ sunt. Figura *Melol. succinctæ*, Herbst Col. III. p. 181. 129. Tab. 27. f. 11, e Pall. Icon. secundum Fabricii citationem plagiata, clypeum evidenter emarginatum monstrat; forte error in descriptione Fabriciana irrepserit, & ejus *Tr. succinctus* e numero specierum delendus. Gyllenh.

61) Trichius pallidipennis: fusco-virescens, elytris testaceis immaculatis, supra testaceo, subtus albido-hirtus, ungulis ferrugineis, valde inæqualibus.

Habitat in Barbaria, Dom. *Schneider*. Mus. *Gyllenh.*

Longitudo *Tr. fasciati*, sed angustior. Caput porrectum, fusco-æneum, crebre punctulatum, antice angustatum, margine clypei valde elevato, reflexo, integro, supra dense testaceo-hirtum, vertice virescente: os & palpi nigra. Antennæ breves nigræ, clava oblongo-ovata triphylla. Thorax latitudine brevior, antice emarginatus, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, fusco-virescens, creberrime punctulatus, pilis erectis fulvo-testaceis dense hirtus, subtus villositate longa decumbente alba vestitus. Scutellum obtuse triangulare, fuscum, canaliculatum, villositate densa albida tectum. Elytra thorace latiora & plus duplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, tota testacea, crebre punctulata, striis nonnullis obsoletis impressis exarata, pube fulvo-testacea decumbente vestita. Pectus & abdomen fusco-virescentia, obsolete punctulata, villositate densa alba decumbente tecta. Pedes crassiusculi, magis nitide virescentes, punctati, parcius albo-hirti, ungulis ferrugineis; unguis exterior primi paris magnus, flexuoso-arcuatus, infra apicem bifidus; interior minutus, tenuis, acutus, simplex; ex unguibus pedum posteriorum etiam exterior multo major, arcuatus, acutus, infra apicem fissus vel dente parvo instructus; interior longe minor, simplex.

GYLLENH.

62) TRICHIUS ALUTACEUS: oblongus nigro-piceus, confertissime punctatus, umbrino-tomentosus, clypeo in medio producto, elytris fusco-rufis, obsolete sulcatis striatisque.

Habitat in Sierra Leona Africæ: *Ad. Afzelius.* Mus. *Schönherr.*

Tr. fasciato fere longior, sed multo angustior & magis convexus. Caput oblongum porrectum fusco-piceum, creberrime rugulosum, pube brevissima fusco-rufa tectum, clypeo antice reflexo, in medio lobo rotundato elevato producto; in fronte inter oculos foveolæ duæ impressæ; oculi magni globosi glauci, hamulo brevi, parum elevato divisi; os rufo-piceum pilosum. Antennæ breves rufo-piceæ, sub-pilosæ, clava oblonga triphylla. Thorax latitudine medii vix brevior, antice emarginatus, lateribus valde rotundato-dilatatus, basi bi-sinuatus, angulis acutis; supra modice convexus, nigro-piceus, confertissime rugoso-punctatus, pu-

be tenui fusco-ferruginea omnino tectus. Scutellum triangulare piceum, crebre rugoso-punctatum, parcius pubescens. Elytra thoracis medio vix latiora, sed plus duplo longiora, apice singulatim rotundata, abdomine multo breviora, supra modice convexa, rufo-picea, pilis parvis fusco-rufis parcius adspersa; in singulo elytro sulci quatuor lati, sed parum profundi, interstitiis convexis, nitidioribus, punctatis; in singulo sulco striæ duæ impressæ, sub-punctatæ, quarum interstitia subtiliter rugulosa, opaca. Podex & pectus picea, crebre rugoso-punctata, umbrino-pubescentia; venter convexus, rufo-piceus, magis nitidus, parcius punctatus & pubescens. Pedes longiusculi rufo-picei, parce pubescentes, femoribus crebre rugoso-punctatis, tibiis profunde striatis, anticis externe tridentatis; unguli omnium pedum bini, æquales, simplices.

AFZELIUS.

63) TRICHIUS SEX-GUTTATUS: depressus niger nitidus, profunde punctatus, clypeo bifido, elytris puncto-striatis, maculis sex rufo-testaceis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. *Ad. Afzelius.* Mus. *Schönherr.*

Tr. fasciato paullo brevior & multo angustior, valde depressus, totus glaber, nitidus; primo intuitu *Licino Cassideo* non ab-similis. Caput porrectum, elongatum, fere planum, nigro-piceum nitidum, sat crebre & profunde punctatum, clypeo angustato, apice profunde bifido, laciniis adscendentibus acuminatis; os & palpi rufo-picei; oculi globosi glauci, hamo elevato, rufo-ciliato, fere transeunte, veluti in duas divisi. Antennæ breves rufo-piceæ, clava triphylla. Thorax subtransversus, antice parum emarginatus, lateribus valde dilatato-rotundatus, basi sub-truncatus, supra perparum convexus, nigro-piceus nitidus, in disco parcius, versus latera crebrius, profunde punctatus. Scutellum triangulare nigrum nitidum, punctis paucis majoribus adspersum. Elytra thoracis medio vix latiora, sed illo triplo longiora, apice simul obtuse rotundata, abdomine breviora, supra valde depressa, nigra, in disco communi antico glabra, nitida, limbo toto opaco; profunde striata, partim sub-sulcata, striis rude seriatim punctatis; in medio marginis lateralis callus oblongus crassus reflexus, niger, politus, sat crebre punctatus; intra callum humeralem macula parva oblonga rufa vel

aurantiaca, simplex; paullo pone medium disci altera transversa, inæqualis, quasi e tribus composita, & in ipso callo postico versus apicem macula tertia, antrorsum arcuata; intra marginem lateralem stria interrupta ferruginea, valde obsoleta. Podex pone elytra rufo-piceus opacus, subtiliter pilosus. Corpus subtus nigro-piceum nitidum, striolis arcuatis punctisque impressis inscriptum. Pedes longiusculi picei, femoribus rugoso-punctatis, tibiis striatis, anticis externe tridentatis, ungulis omnium pedum binis æqualibus simplicibus. AFZEL.

64) TRICHIUS 4-MACULATUS: depressus, rufo-piceus nitidus, profunde punctatus, clypeo bifido, elytris punctato-striatis ferrugineis, maculis quatuor nigris.

Habitat in Sierra Leona Africæ. *Ad. Afzelius.* Mus. *Schönherr.*

Præcedenti quoad structuram & partium formam simillimus, sed dimidio minor, aliter coloratus, &c. Caput, cum clypeo, oculis, antennis, quoad structuram & puncturam ut in præcedenti omnino, sed color dilutius rufo-piceus. Thorax & scutellum etiam omnimode ut in illo, modo dilutiora. Elytrorum forma fere eadem, sed in medio laterali minus dilatata, absque callo elevato; supra perparum convexa, tota ferruginea vel testacea, minus profunde punctato-striata; in disco antico cujusvis elytri macula magna nigro-fusca, inæqualis, quasi e striis tribus conflata, & pone medium disci altera minor, posterius angustata. Podex ut in priori. Corpus subtus dilute rufo-piceum nitidum, striolis pilisque ut in præcedenti adspersum. Pedes rufo-testacei, tibiis secundi paris difformibus, arcuatis, compressis, in medio antico profunde incisis, subtus versus basin penicillo elongato e pilis fulvis instructis; ceterum pedes & unguli ut in priori omnino. AFZEL.

65) TRICHIUS FASCICULATUS: fusco-piceus, supra squamulis concoloribus rigidis fasciculatus, subtus cinereo-squamosus, thorace canaliculato, elytris depressis abbreviatis substriatis pedibusque testaceis.

Habitat in America boreali forte. Mus. *Schönherr.*

Statura & summa affinitas *Tr. canaliculati* Fabr. sed plus duplo minor, fasciculis plurimis squamulorum præcipue distinctus. Caput retractum, deflexum, piceum, fronte inæquali, squamulis fusco-piceis erectis tectum,

Antennæ breves ferrugineæ, clava ovata. Thorax elevatus, rotundatus, piceus, in medio dorsi sat profunde canaliculatus, squamulis fuscis cinereisque mixtis, depressis, tectus, & præterea fasciculis octo e squamulis elongatis erectis fuscis ornatus, quarum duo paria in disco, juxta canaliculam, posterioribus majoribus, & bina lateralia utrinque. Scutellum triangulare depressum, cinereo-squamosum. Elytra thorace multo latiora, sed vix dimidio longiora, abdomine multo breviora, apice rotundata, supra depressa, obscure testacea, obsolete punctato-striata, squamulis depressis fuscis cinereisque mixtis tecta, fasciculisque in singulo quatuor e squamulis elongatis, erectis, fuscis decorata, quarum primus in ipso humero, magnus, arcuatus; secundus in disco anteriore, tertius in disco posteriore, ambo minores; quartus versus apicem interiorem, obsoletior; præterea in medio baseos macula cinereo-albida e squamulis brevioribus erectis, & in disco interiore lineola abbreviata e squamulis fuscis. Podex pone elytra piceus, crebre punctatus, cinereo-squamosus, fasciculisque duobus e squamulis erectis elongatis pallide cinereis notatus. Corpus subtus piceum, squamulis densis cinereo-albidis depressis tectum. Pedes elongati validi testacei, albido-squamosi, tibiis anticis tridentatis. GYLLENH.

66) TRICHIUS STIGMATICUS: niger, capite thoraceque lutescente-hirtis, elytris luteo-squamosis, punctis quinque nigris denudatis.

Habitat ad Cap. bon. Spei. Mus. D. *Gründal.*

Caput nigrum, lutescente-hirtum, clypeo elongato, apice truncato, reflexo-marginato; antennæ & palpi nigri. Thorax sub-rotundatus niger, punctatus, hirsutie lutescente tectus, margine basilari squamis vitellinis adsperso. Scutellum parvum luteo-squamosum. Elytra abbreviata, apice truncata, nigra, punctata, squamis luteis rotundatis tecta, relictis punctis nigris quinque denudatis, 2 ante, 3 pone medium; præterea in singulo elytro lineæ duæ elevatæ, parcius squamosæ, & superficies tota pilis brevissimis minutis nigris adspersa. Pectus nigrum albido-villosum. Abdomen nigrum, albido-squamosum & pilosum, maculis lateralibus e squamis luteis ornatum; segmenta duo ultima vero luteo-squamosa, maculis albido-squamosis decorata. Pedes hirti nigri, hirsutie femorum alba, tibiarum lutescente.

Obs. Statura & magnitudo fere *Tr. Nigripedis*.

Billb.

67) Trichius squamans: niger, cinereo-pubescens, elytris anoque dense ferrugineo-squamosis, pedibus rufo-ferrugineis, posticis magnis, femoribus tibiisque spinosis.

Habitat ad Caput bonæ Spei, Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Statura *Tr. dentipedis, arthritici,* &c. sed longe minor, & ungulus pedum posticorum solitarius. Caput porrectum nigrum, cinereo-pubescens, granulis parvis elevatis crebre muricatum, clypeo truncato, quadridentato, mediis parvis obsoletis; os & palpi rufescentes. Antennæ breves rufescentes, clava oblonga tri-lamellata. Thorax antice angustior, emarginatus, basi rotundatus, supra parum convexus, posterius canaliculatus, totus niger, obsoletius granulatus, pilis depressis cinereis parce adspersus. Scutellum triangulare nigrum, punctatum, squamulis depressis rotundatis pallide testaceis tectum. Elytra antice thorace latiora, sed mox pone humerum attenuata, thorace vix dimidio longiora, apice rotundata, supra parum convexa, nigra, obsolete rugoso-granulata, squamulis depressis, rotundatis, ferrugineo-pallidis omnino tecta. Podex pone elytra niger punctatus, apicem versus squamulis ferrugineis tectus. Corpus subtus nigrum, parce pallido-squamosum. Pedes rufo-ferruginei, anteriores mediocres, tibiis primi paris externe dentibus tribus elongatis, approximatis armatis; pedes postici magni, elongati, femoribus compressis latissimis, subtus in medio dente elongato, arcuato, & in ipso apice duobus brevioribus æqualibus armatis; tibiis ejusdem paris etiam compressis, basi subtus emarginatis, sed mox pone basin dilatatis, cum mucrone adscendente, & in apice externo dente valido acuto instructis; ungulus hujus paris solitarius, simplex, validus, arcuatus.

Gyllenh.

68) Trichius Nanus: niger, griseo-pubescens, elytris sub-glabris testaceis, scutello anoque ferrugineo-squamosis, pedibus rufo-ferrugineis muticis.

Habitat ad Caput bonæ Spei. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo, statura & summa affinitas præcedentis, attamen manifeste differt, elytris glabris, nec squamis ferrugineis tectis, pedibusque omnino muticis. Caput,

antennæ, thorax & scutellum ut in præcedenti omnino. Elytrorum forma etiam eadem, sed tota pallide testacea, vage punctato-subrugosa, pilis depressis cinereis parce adspersa, absque squamis. Podex pone elytra ut in præcedenti. Corpus subtus nigrum nitidum, pilis longioribus cinereis parce adspersum, & in ventre præterea squamulæ rotundatæ pallidæ parce immixtæ, præsertim ad latera & apicem. Pedum structura & color etiam ut in præcedenti, sed femora & tibiæ postici paris paullo minores, compressæ, omnino inermes, præter spinas solitas apicis tibiarum. GYLLENH.

CETONIA.

69) CETONIA GEOTRUPINA: scutellata, nigra, clypeo excavato, cornu recurvo apice trifido, thorace inermi castaneo: margine punctisque duobus lutescentibus.

Habitat ad Cap. bon. Spei. Mus. D. *Gröndal.*

Mas magnitudine *C. marmoratæ*; statura *Geotrupis*; species a Diagnosi valde distincta. Caput nigrum, profunde punctatum, prominentia subtus ad basin magna apice bifida, setis longis recurvis: clypeus capite longior & paullo latior, excavatus, niger, profunde punctatus, seta brevi picea ab utrocumque puncto; in medio clypei cornu erectum, intus concavum, extus convexum, apice trifidum, lateribus mucrone acuto triangulari armatum; palpi castanei. Thorax longitudine latior, lateribus rotundatus, castaneus, ipso margine punctisque duobus ad basin lutescentibus, profunde punctatus, punctis medio sparsioribus, subtus niger rugoso-punctatus. Scutellum oblonge triangulare nigrum. Elytra latitudine duplo longiora, ad basin paullo latiora, obscure castanea, punctato-striata, striis sex: interstitiis striarum ad marginem conferte medio sparse punctatis. Corpus nigrum; pectus rugoso-punctatum; sterno antice porrecto, medio canaliculato, punctis sparsis; abdomen confertissime & subtiliter punctatum. Pedes nigri, punctati. BILLB.

70. CETONIA PULLA: exscutellata, cærulescenti-atra, glabra, thorace punctis duobus impressis.

Habitat in India orientali. Mus. D. *Gröndal.*

Magnitudine *C. Aulicæ* at angustior. Tota cærulescente atra. Caput leviter punctatum, ad latera impressum, punctis medio impressionum ocellaribus sparsis:

clypeus apice bifidus, laciniis incurvis; os pallide ferrugineum. Thorax ad basin longitudine vix duplo latior, antice valde angustior, ad medium baseos scutelliforme productus, punctis duobus geminis impressus. Elytra latitudine triplo longiora ad apicem vix angustiora, apice impressa, lateribus a medio rugosa & prope suturam leviter punctato-striata, stria ad apicem profundiori. Corpus rugoso-punctatum; lamina sterni spinosa, levis, medio canaliculata.

BILLB.

71) CETONIA PUMILA: nigro-cærulea, elytris albo-guttatis: thorace lobato, ano immaculato.

Ceton. pumila. Fabr. Mscr. secund. Mus. *Sehestedt.*
Habitat in Bengalia. Mus. *Schönherr.*

Statura et magnitudo *C. cæruleæ Oliv.* & vix *Cet. sticticæ* minor; nigro-cærulea, supra omnino glabra. Clypeus elongatus, angustus, convexus, punctulatus, apice emarginatus. Thorax lobatus, convexus, crebre punctulatus. Scutellum angustissimum, læve. Elytra punctis impressis seu cicatriculis irregulariter serialibus, guttisque albis (ut in *C. cærulea*) utrinque 10, notata, apice sub-mucronata. Anus immaculatus, ferrugineo-hirsutus. Abdomen pectusque æneo-nigrum, pilis raris ferrugineis adspersum, segmento uno alterove ad latera albo-marginato. Sternum porrectum, basi canaliculatum. Pedes nigro-cærulei, ferrugineo-hirti.

SWARTZ.

72) CETONIA CARDUI: supra nigra opaca, scutelli limbo omni impunctato, subtus cœrulea nitidissima glabra, sterno lævissimo.

Cetonia Morio. Illig. Vers. Oliv. II. p. 143. 27. var. 3.
Habitat in Hispaniæ Carduis. Dom. *Dejean.* Mus. *Schönherr.*

C. Morio Fabr. simillima & valde affinis, distincta tamen: Corpore paullo angustiore, limbo scutellari sternoque lævibus impunctatis, corpore subtus glabro, cœruleo, &c. Caput nigrum, cœrulescenti-micans, profunde punctatum, in medio longitudinaliter elevatum, clypei margine antico valde reflexo, sub-integro; oculi brunnei. Antennæ nigræ, clava apice rufo-picea. Thorax antice angustus, in medio laterali nonnihil rotundato-dilatatus, margine crasso reflexo, basi obsolete trisinuatus, supra parum convexus, totus niger, glaber, o-

pacus, versus latera sat crebre & profunde, in disco anteriore parce subtiliter punctulatus, limbo ante-scutellari impunctato. Scutellum oblongo-triangulare nigrum opacum læve, apice rotundatum. Lamina ante-humeralis elevata, cœruleo-nigra, strigosa. Elytra lata, apice sub-truncata, supra depressa, tota nigra opaca nuda, plaga circum scutellum magna lata sub-quadrata lævi, vix punctulo uno alterove minutissimo adspersa; superficies reliqua striolis tenuibus, plerisque lunatis vel semi-circularibus & puncto minuto centrali fœtis, in impressione juxta suturam præsertim seriatis & confluentibus, exarata. Podex pone elytra nigro-cœrulescens, confertissime strigosus. Corpus subtus nigro-cœruleum nitidissimum, glabrum, pectoris & abdominis medio lævissimis, lateribus strigosis; sternum porrectum, basi angustum, dein valde dilatatum, apice sub-rotundatum, lævissimum, cœruleum nitidum. Pedes nigro-cœrulei strigosi & punctati, femoribus anticis tibiisque omnibus subtus dense pallido-ciliatis.

GYLLENH.

73) CETONIA CINNAMOMEA: corpore subtus pedibusque nigris, supra cinnamomea holosericeo-micans, confertissime nigro-maculata.

Habitat in Africes Insula Bananas dicta, florum incola. *Ad. Afzelius.* Mus. *Schönherr.*

C. Carnifici Fabr. simillima & affinis, sed minor & præterea differt: colore super ferrugineo, thorace obsoletissime tantum punctato, scutello ferrugineo macula atra, sterno atro, abdomine subtus serie tantum unica macularum & pedibus totis atris. Caput ferrugineum punctulatum, pilis cinereis adspersum, lateribus & lineola verticis nigris; clypeus sub-quadratus capiti concolor, marginibus acute elevatis nigris, angulis anticis prominulis; oculi glauci. Antennæ piceæ. Thorax lateribus rotundato-dilatatus, basi media leviter emarginatus, supra parum convexus, testaceo-ferrugineus opacus, obsolete punctatus, puncto singulo squamulis minutis albidis occultato; in disco puncta nigra circiter tredecim; duo antica, paria; solitarium ante scutellum, oblongum, & quinque in disco posteriori utrinque, in circulum fere collocata, pleraque inæqualia, sæpe confluentia. Scutellum oblongo-triangulare, thoraci concolor, macula media obconica nigra. Elytra etiam thoraci concolora, obsolete punctato-striata & costata,

maculis plurimis nigris inæqualibus, interstitiis striarum seriatim digestis, adspersa; series duæ in singuli elytri medio reliquis magis regulares, maculis crebrioribus compositi. Podex pone elytra testaceus pubescens, subtiliter strigosus, fusco-marginatus. Pectus nigrum, medio glabrum nitidum læve; sterno brevissimo obtuso tenue canaliculato; pectoris latera strigosa, pube depressa cinerea vestita; abdomen nigrum, medio læve nitidum glabrum, serie unica e maculis quatuor triangularibus rufescentibus; versus latera strigosum, pilis paucis adspersum, in margine utrinque triangulis testaceis, cum eodem colore dorsi cohærentibus ornatum. Pedes nigri cinereo-pilosi, tibiis sulcatis.

AFZELIUS.

74) CETONIA HOOKERI: nigra, thoracis lateribus anoque testaceis, elytris transversim rugulosis testaceis, sutura punctoque humerali nigris.

Habitat in nova Hollandia. Mus. *Schönherr.*

Inter majores hujus generis, *C. fastuosa Fabricii* æqualis. Caput nigrum clypeo angusto, valde elongato, crebre et profunde rugoso-punctato, lateribus elevato, apice emarginato; maxillarum penicilli longissimi fulvi. Antennæ nigræ, clava longissima triphylla, interne vitta ferrugineo-hirta notata. Thorax in medio niger, lateribus late testaceis, cum puncto medio fusco utrinque; undique sat crebre punctulatus. Scutellum magnum, oblongo-triangulare acutum nigrum, parce punctulatum. Elytra lata depressa, externe crebre transversim rugosa, interne seriatim punctata, saturate testacea, sutura ultra medium late, apicem versus anguste fusco-nigra; callus humeralis etiam nigro-fuscus; margo lateralis elytrorum pallido-ciliatus. Corpus subtus nigrum nitidum læve, pectore segmentorumque ventralium marginibus pilis depressis pallidis vestitis; anus sive ultimum segmentum saturate testaceum, strigosum, basi superiore macula triangulari nigra notatum. Sternum breve, apice dilatatum, rotundatum. Pedes nigri, pallido-pilosi; tibiis quatuor posterioribus interne longius ciliatis.

Mas paullo major femina, ventre subtus longitudinaliter impresso vel canaliculato, laminaque externa clavæ antennarum fovea media impressa notata, quæ in femina deest, et ejus venter non impressus.

In memoriam *Dom. Hooker*, Angli, Historiæ Naturalis cultoris clarissimi, qui hanc speciem et multa alia pretiosa, hujus operis Auctori benevole dono dedit.
SWARTZ.

75) CETONIA PANZERI: oblonga nigra glabra, undique flavo-variegata, elytris antice pedibusque rubris, clypeo bifido flavo, nigro-punctato.

Habitat in Nova Hollandia. Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

C. aurata vix brevior sed dimidio angustior, statura *C. punctatæ*. Capitis vertex niger; clypeus flavus, apice rufescens, profunde emarginatus, fere bifidus; in disco flavo puncta duo nigra, antica, interdum etiam tria alia superiora; os et antennæ rufo-ferruginea. Thorax niger glaberrimus lævis, intra margines flavus, macula oblonga nigra utrinque: ante basin linea transversa sinuata flava, (subinde interrupta) et alia in medio disci brevior longitudinalis. Scutellum oblongo-triangulare nigrum, linea crassa flava notatum. Elytra ultra medietatem rubra, apice nigra, linea longitudinali sub-arcuata flava e medio baseos decurrente, in medio disci desinente, notata; apicem elytrorum cingit arcus flavus, juxta suturam adscendens, in medio laterali desinens, ibique rectangulariter versus discum fractus, abbreviatus; pone medium disci fascia abbreviata flava recurva, ad suturam dilatata. Podex supra aut niger, arcubus duobus magnis flavis, aut flavus, maculis tribus nigris. Subtus nigra glabra, pectoris lateribus ventrisque fasciis interruptis flavis. Sternum atrum nitidum læve, fere conicum. Pedes rubri, femoribus posticis linea flava ad marginem superiorem.

In memoriam Inclyti Auctoris Faunæ Germaniæ, aliorumque scriptorum de meliori nota ad Entomologiam spectantium. SWARTZ.

76) CETONIA AFZELII: glabra nigra punctata, elytris testaceis, margine suturaque nigris, clypeo producto, apice tridentato.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. Prof. *Ad. Afzelius*. Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

C. elata Fabr. simillima et valde affinis, sed paullo minor, et colore plane diversa, immaculata. Caput nigrum nitidum, clypeo producto angustato, lineolis crebris impressis striato, apice tridentato, dente medio

brevi, lateralibus valde elongatis compressis conniventibus; oculi glauci; antennæ nigræ. Thorax niger nitidus immaculatus, crebre sed parum profunde punctatus. Scutellum triangulare acutum nigrum læve, in medio obsolete canaliculatum. Elytra pallide testacea, obsolete punctato-striata, sutura margineque laterali anguste, apice latius nigris; apex crebre strigosus, ad suturam in acumen parvum productus. Corpus atrum nitidum, parce punctatum et strigosum. Sternum valde porrectum adscendens conicum læve. Pedes atri, femoribus subtus pallido-ciliatis, posticis arcuatis, subtus canaliculatis.

Mas paullo longior quam femina; dentes clypei nonnihil longiores; thoracis et scutelli color magis olivaceus, smaragdino-refulgens; abdomen subtus longitudinaliter impressum, et in canali isto serie e maculis quatuor luteo-albidis ornatum; femora omnia subtus pilis longis densis barbata.

In femina venter convexus, immaculatus, femora parce et breviter ciliata, etc.

Nomen imposuit *Schönherr* ob merita præclara Inventoris, qui sub æstuante sole scientiam detectis pulcherrimis olim ditavit, postque reditum ad Synonymiam Insectorum amplificandam, inquisitionem totius collectionis Auctori amicissime obtulit.

SWARTZ.

77) CETONIA RESPLENDENS: aureo-viridis nitidissima versicolor, elytris subtilissime seriato-punctatis, basi, limbo scutellari, sutura tarsisque nigro-violaceis.

Habitat in China. Dom. *Gröndal*. Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

Major in hoc genere, *C. fastuosa F.* multo longior sed angustior, statura *C. flavo-maculatæ*. Capitis clypeus apice fere latior, integer, marginibus elevatis sub-violaceis, disco viridi subtiliter granulato; vertex obsolete carinatus; oculi globosi fusco-castanei. Antennæ nigro-piceæ, clava longa. Thorax viridi-aureus nitidus, subtilissime punctulatus, marginibus undique anguste sub-violaceis; in nonnullis juxta basin puncta sex violacea, quarum quatuor in serie transversa postica, mediis oblongis; duæ aliæ anteriores oblongæ, oblique positæ. Scutellum magnum, oblongo-triangulum acutum, obsolete punctulatum, thoraci concolor. Elytra elongata, posterius angustata, apice suturali ob-

tuse producta, aureo-viridia splendidissima, callo humerali, limbo scutelli lato suturaque anguste nigro-violaceis; in disco interiore singuli elytri series 5 sat regulares e punctulis parvis transversis, et præterea costæ duæ elevatæ obsoletæ; limbus posterior elytrorum crebre transversim strigosus, callo apicali immaculato. Corpus subtus luteoaureum vel igneum fulgidissimum glabrum, in medio sub lævc, ventris lateribus parce strigosis. Sternum porrectum crassum rotundatum. Femora et tibiæ viridi-aurea, oblique strigosa, tarsis totis nigro-violaceis. SWARTZ.

78) CETONIA PUNCTATA: oblonga, læte viridis micans, glabra, elytris punctis arcubusque impressis apiceque nigro-violaceis, ventre albo-maculato.

Habitat in floribus Sierræ Leonæ variis. *Ad. Afzelius.* Mus. *Schönherr.*

C. aurata fere longior, sed dimidio angustior. Caput viride clypeo elongato, apice profunde emarginato, fere bifido, laciniis rotundatis; violaceo-marginatus, crebre et profunde rugoso-punctatus, verticis plaga media sub-elevata lævi; oculi globosi glauci. Antennarum articulus primus magnus, supra viridis, reliqui nigro-picei, clava magna elongata. Thorax antrorsum valde angustatus, basitri-sinuatus, totus viridis micans, punctis striolisque arcuatis, versus latera crebrioribus et profundioribus impressus. Scutellum majusculum oblongo-triangulare acutum, viride nitidum læve. Elytra elongata angusta, apice suturali acuminato-producta, supra depressa, læte viridia, nitida; in disco interiore singuli elytri series quinque sat regulares e punctis arcubusque semi-circularibus impressis, certo situ nigricantibus, interjectis seriebus aliis minus ordinatis, et præterea ibi costæ tres elevatæ, impunctatæ, media evidentiore, longiore; limbus apicis creberrime transversim strigosus; margo lateralis anguste, apicis vero late nigro-violaceus: apex ipse suturalis acuminatus, puncto orbiculari albo notatus: paullo interius versus callum elytrorum punctum alterum album, parvum. Alæ longæ violaceo-micantes. Pectus viride glabrum, lateribus transversim strigosum, sterno porrecto elongato elevato, apice obtuso: venter viridis glaber nitidus, lateribus striolis parvis transversis impressus, marginibus segmentorum canalique media maris profunde impressa sub-violaceis; in singulo latere abdominis maculæ octo transversim ovatæ, niveæ, quatuor

in singula serie: ultima duo segmenta obscure ferruginea, creberrime strigulosa, ano supra utrinque macula rotundata nivea notato. Femora et tibiæ viridia nitida, oblique strigosa, subtus tenue helvolo-ciliata; tarsi elongati picei, violaceo-micantes. AFZELIUS.

79) CETONIA SPECULIFERA: viridi-aurea nitidissima glabra, undique albo-guttata, elytris apice acuminatis, disco antico lævissimo.

Habitat in Insula Solo maris pacifici. Mus. *Schönherr.*

C. aurata primo aspectu simillima, sed paullo major et manifeste diversa, corpore toto glabro, elytris apice acuminatis, disco antico lævissimis, ut et thorace ventreque albo guttatis. Caput - - -. Thorax viridi-aureus nitidissimus, in disco parce punctulatus, versus latera profundius strigosus, cicatriculis decem albidis impressus, quarum lateralis utrinque oblonga, reliqua rotunda, remota, symmetrice locata. Scutellum triangulare, apice rotundatum, virescenti-aureum, læve. Elytra viridi-aurea, apice suturali acuminata, disco antico communi quadratim glaberrimo, speculi instar, et vix punctulato, limbo vero reliquo lato strigis arcuatis lunulisque impressis confertissime exarato, et præterea punctis strigisque sparsis albidis ornata. Pectus viridi-aureum glabrum, medio læve, canaliculatum, lateribus strigosum, sterno porrecto, prope basin angustato, apice valde dilatato, rotundato. Abdomen viridi-aureum nitidum, medio læve, lateribus strigosum, guttulis transversis albidis serie duplici utrinque notatum. Pedes crassiusculi virides punctati. SWARTZ.

80) CETONIA PUBERA: olivaceo-virescens opaca, elytris rufo-piceis, lateribus apiceque albo-irroratis, fronte pallido-hirsuta.

Habitat in America septentrionali. Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal.*

Inter minores, *C. hirtam* vix superans. Caput olivaceum punctatum, fronte pilis longis erectis pallidis hirsuta, clypeo brevi lato, vix emarginato, marginibus valde reflexis; oculi magni globosi-brunnei. Antennæ piceæ, clava magna, lata, arcuata. Thorax antice angustior, basi parum sinuatus, supra aqualis, sat crebre sed obsoletius punctatus, olivaceo-virescens, interdum piceo mixtus, opacus, pilis minutis depressis cinereis parce adspersus. Scutellum oblongo-tringulare

acutum læve, thoraci concolor. Elytra depressa rufo-picea opaca, in disco obsolete punctata, limbo posteriore transversim ruguloso; in medio cujusvis elytri costæ duæ elevatæ, impunctatæ, ad callum posticum connexæ; juxta marginem lateralem et apicalem maculæ plurimæ irregulares, sæpe confluentes, sordide albæ, et in disco posteriori puncta aliquot sparsa minuta ejusdem coloris. Podex pone elytra nigro-piceus, crebre transversim strigulosus, pilis rigidis depressis cinereis adspersus. Pectus dense pallido hirsutum, lateribus crebre strigosum, medio glabrum læve olivaceum nitidum, tenue canaliculatum, sterno porrecto apice dilatato, rotundato; abdomen etiam versus latera strigosum et pallido-hirsutum, in medio glabrum læve olivaceum, posterius rufo-piceum. Pedes picei pallido-hirsuti, femoribus oblique strigosis, tibiis sulcatis.

GYLLENHAL.

81) CETONIA ZEBRA: scutellata atra, capite lineis duabus, thorace tribus luteis, elytris clare castaneis, lineis tribus punctoque vitellinis.

Habitat in Ins. Java. Mus. Dom *Gröndal.*

Statura omnino *C. hæmorrhoidalis*, at fere duplo major. Caput castaneum, confertim punctatum, pilis brevibus lutescentibus adspersum, basi nigrum, lineis duabus luteis; oculi atri; palpi clare castanei, articulo ultimo elongato. Thorax longitudine latitudinis, antice vero attenuatus, supra confertim punctatus, medio lateribusque impressus, ater, pilis brevibus piceis adspersus, lineisque tribus luteis ornatus; subtus rugosus, macula transversa marginali lutea. Scutellum nigrum, medio linea lutea. Elytra latitudine plus duplo longiora, apicem versus attenuata, clare castanea, pilis brevissimis piceis adspersa, in medio sparse, versus latera confertius punctata, striis dorsalibus 6 integris, septima intima brevi, exarata, lineisque tribus impressis vitellinis decorata, ut et puncto sub linea marginali, ejusdem coloris. Sternum rugosum atrum, piceo-pilosum, lineis duabus transversalibus luteis. Abdomen atrum, piceo-pilosum, segmentis 1 et 5 maculis duabus triangularibus luteis, secundo et tertio lineis duabus transversis, et lateribus utrinque punctis quinque supramarginalibus ejusdem coloris. Pygidium atrum, macula rotunda vitellina. Pedes clare castanei, lutescente pilosi.

BILLB.

82) CETONIA MARGINALIS: elongata nigro-picea, supra glabra, crebre albo-guttata, thorace parum marginato lateribus rubro.

Habitat ad Promontorium bonæ Spei. *Gröndal.* Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal.*

C. sticticæ similis, sed multo angustior, supra glabra, aliter colorata; a *C. albella Pallas* et *guttifera Afzel.* cui simillima, etiam differt, statura angustiore, thorace perparum marginato, podice non albo-guttato, etc. Clypeus elongatus, confertissime punctulatus, vix emarginatus, modo in medio apicis depressus. Oculi rufo-brunnei. Thorax sub-rotundatus nigro-piceus, creberrime puctulatus, lateribus late rubris, angustissime tantum marginatis; in disco nigro guttulæ 10 albæ, nempe paria terna in medio dorsi, et duo ad utrumque latus, posteriora majora. Scutellum triangulare acutum læve. Elytra nigro-picea glabra, lateribus rufescentia vel rufo-picea, apice suturali in acumen producta, obsoletius punctato striata; juxta suturam posterius striæ tres duplicatæ tenues impunctatæ; superficies tota guttulis plurimis albidis adspersa, in singulo elytro ultra 20, valde inæqualibus inordinatis. Podex pone elytra nigro-piceus, albido-pilosus, maculis duabus ovatis rubris notatus, interdum obsoletis. Corpus subtus nigro-piceum, pilis longis rigidis albidis tectum; sternum breve obtusum. Pedes nigro-picei, similiter pilosi, crebre rugoso-punctati. SWARTZ.

83) CETONIA GUTTIFERA: ovata nigra glabra, thorace acute marginato, linea laterali alba, elytris apice acuminatis, crebre albo-guttatis.

VAR. β. Thorace, elytris anoque rufo-piceis, guttulis lutescentibus.

Habitat in floribus Sierræ Leonæ Africes. *Ad. Afzelius.* Mus. *Schönherr.*

Statura *C. sticticæ*, at minor, supra glabra; *C. albella Pallas* æqualis et valde affinis, differt tamen angulis posticis thoracis et apice suturali elytrorum acuminatis, quæ in illa rotundati, etc. Caput nigrum confertissime punctulatum, clypeo elongato, attenuato, parum emarginato, sed in medio apicis depresso; oculi fusco-brunnei. Antennæ breves piceæ. Thorax antice angustior, lateribus ante medium rotundato-dilatatus, basi rotundato sub-sinuatus, angulis lateralibus prominulis; supra modice convexus, niger, sub-viola-

eco-micans, nitidus, crebre sed minus profunde punctatus; margo lateralis evidenter reflexo-marginatus et juxta marginem vitta lata alba, antice introrsum versus collum flexa, in medio interiori sinu angulato dilatato nigro emarginata; sæpe tamen hæc vitta antice abrupta et in medio interiori puncto fere libero aucta; intra basin maculæ duæ ovatæ remotæ, oblique positæ, albæ, et in aliis adhuc puncta duo minuta in medio disci. Scutellum triangulare acutissimum nigrum, punctis paucis impressum. Elytra nigro-picea glabra nitida, apice suturali in acumen producta, supra inæqualia; costæ in singulo duæ elevatæ, nitidæ, punctis paucis minutis adspersæ, una e medio baseos ad callum apicalem ducta, altera interior, medio abbreviata ibique priori approximata; præterea elytra sat regulariter striato-punctata, et in impressione juxta suturam postice striis tribus tenuibus duplicatis, vix punctatis, exarata, superficies tota guttulis plurimis albis seu niveis adspersa, in singulo elytro circiter 20, inæqualis figuræ et magnitudinis. Lamina cuneata ante-humeralis nigra, punctata, pilosa, apice interno macula alba notata. Podex pone elytra niger granulatus, breviter pilosus, maculis utrinque tribus albis, sæpe in unam tri-cuspidem confluentibus. Corpus subtus nigro-piceum nitidum, pilis paucis brevibus adspersum, lateribus striolatum, medio obsolete punctulatum; sternum breve obtusum; ad latera pectoris utrinque maculæ tres albæ, interiore magna; in utroque latere abdominis maculæ quinque albæ, anteriores quatuor parvæ, ultima major, transversa. Pedes nigro-picei, femoribus oblique strigosis, anterioribus subtus densius ciliatis, tibiis omnibus sulcatis, anticis externe bidentatis.

Var. β. differt tantum colore paginæ superioris dilutiore, rufescente vel rufo-piceo, guttulisque omnibus lutescentibus; forte junior.

AFZELIUS.

84) CETONIA VENTRICOSA: lineari-elongata nigra punctatissima, subtus cinereo-lanuginosa, thorace rotundato canaliculato, ano incrassato pendente.

Habitat Sierræ Leonæ in terra, ut *Aphodii*. *Ad. Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Statura et magnitudo omnino *Sinodendri cylindrici*, sed supra applanatæ; proximæ affinis *Cet. Mauræ*, *Hottentottæ*, et imprimis *C. elongatæ Oliv.* qua tamen præ-

ter alia pluries minor. Caput deflexum nigrum convexum, confertissime punctatum, clypeo apice latiore, sub-emarginato; oculi globosi glauci. Antennæ breves piceæ, articulo primo maximo obconico incurvo piloso. Thorax fere exacte rotundatus, basi tamen media sub-emarginatus, undique anguste marginatus, supra parum convexus, niger, sub-nitidus, glaber, confertissime punctatus, fere reticulatus. Scutellum triangulare acutissimum nigrum, crebre gyroso-strigosum. Lamina cuneata ante-humeralis angusta nigra, dense cinereo-pilosa, humilior quam in ceteris Cetoniis. Elytra valde elongata angusta, pone humerum tamen ut in reliquis abrupte sinuata, apice obtuse rotundata, dorso fere plana, tota nigra, parum nitida; in singulo elytro costæ quatuor elevatæ, quarum tres exteriores in callo apicali valde elevato nitido conjunguntur, sutura proxima vero solitaria, obsoletior, postice evanescens; tam costæ quam limbus elytrorum exterior crebre subtiliter punctulata, et sulci costis interjectæ creberrime subtilissime striolatæ. Pectus crebre granulato-punctatum, dense cinereo-pubescens, sterno non producto: abdomen nigrum, magis nitidum, parce pilosum, crebre subtiliter strigulosum, posterius valde incrassatum, tumidum, podice semi-orbiculato, punctato, deflexo vel pendente. Pedes nigri cinereo pilosi, femoribus strigulosis, tibiis sulcatis, anticis externe bi-dentatis.

Obs. Toto corporis habitu ut et sede subterranea a genuinis *Cetoniis* differt hæc species, forte cum *C. maura, hottentotta, cruenta Fabr.* et *elongata Oliv.* aptius in proprio genere collocanda.

Gyllenh.

85) Cetonia plana: exscutellata, obscure ænea, elytris planis.

Habitat — — —

Caput obscure æneum, punctulatum, ut in congeneribus deflexum, clypeo valde emarginato; antennæ rufescentes. Thorax parum convexus, obscure æneus, oculo armato parum punctulatus; postice versus locum scutelli valde productus, latitudine longitudinis; antice angustatus. Elytra lateribus elevatis, angulatis, ut superficies plana evadat; obscure ænea, oculo armato rugis quibusdam lævissimis; antice latitudine dimidiæ

longitudinis, postice vero angustiora. Pectus æneum nitidum sterno valde producto. Abdomen et pedes ænei, nitidi, tarsis obscurioribus. Magnitudo: *Cetonia marmorata* paullo longior sed haud latior est.

G. Paykull.

86) Cetonia imperialis: exscutellata, nigra, thorace maculis duabus, elytris utrinque tribus fulvis.

Habitat in India Orientali.

Caput nigrum, ut in congeneribus deflexum, punctulatum, foveola utrinque frontali, clypeo parum emarginato; antennæ brunneæ. Thorax parum convexus, oculo acute armato subtilissime punctulatus; antice transversus, longitudine dimidio latior; postice dilatatus versus locum scutelli valde productus; niger, opacus, antice macula utrinque magna subrotunda fulva. Elytra oculo armato subtilissime punctulata; thorace plus quam dimidio longiora et antice parum latiora, postice vero angustata; nigra, opaca, maculis utrinque tribus fulvis: prima parva subtrigona in ipso angulo anteriore exteriore, secunda in medio, majore, subtransversa, tertia in ipso apice, antrorsum sublunata. Pectus nigrum sterno acuto. Abdomen nigrum, nitidum, stigmatibus utrinque tribus luteis. Pedes mediocres, nigri. Magnitudine vix *Ceton. auratæ*.

Paykull.

RUTELA.

87) Rutela Cæsarea: *) chrysoprasea nitens, clypeo æneo late exserto recurvo, pedibus ferrugineis, tarsis atris.

Habitat in Botany-bay. Mus. D. *Gröndal*.

Magna, *Mel. viridi* fere duplo major. Caput chrysopraseum, glabrum, lateribus punctatis, clypeo proboscidali æneo valde porrecto, margine apicis reflexo, truncato: ore atro, partibus cibariis ferrugineis. Thorax longitudine dimidio latior lateribus rotundatis marginatis, supra subtestaceo-chrysopraseus, glaber, subtus chrysopraceus albido villosus, subtilissime punctatus impressulis duabus lateralibus, puncto viridi medio ad

*) Die Farbe dieser und anderer von mir hier beschriebenen Arten ist in Uebereinstimmung mit meiner Abhandlung in der Königl. Schwed. Acad. d. Wissensch. für das Jahr 1813.

Billb.

basin. Scutellum chrysopraseum, ad basin punctatum, villis albidis. Elytra latitudine plus duplo longiora, testaceo-chrysoprasea, irregulariter punctato-striata, interstitiis striarum punctatis. Pectus chrysopraseum, punctatum, albido villosum; sternum porrectum acuminatum, medio canaliculatum. Abdomen chrysopraseum punctatum ad basin albido-villosum: ano testaceo. Pedes ferruginei: tibiis prioris paris margine bidentatis nigro marginatis; posterioribus quatuor subtus denticulis plurimis nigris, tarsisque atris. Billb.

88) Rutela Latreillei: lata sub-depressa viridi-aurea nitida, clypeo rotundato cupreo, elytrorum lateribus dilatatis, pedibus cinnabarinis, tarsis atris.

Habitat in Nova Hollandia. Mus. *Gyllenhal*, e Musæo *Schneideri*, sub nomine *Melol. brunnipes* communicata.

Magna, speciosa, *Melol. Fullonis* longitudine, sed dimidio latior, supra parum convexa. Caput viridi-aureum nitidum, antice profunde punctatum, vertice lævi; clypeus rotundatus, fere semi-circularis, rubro-cupreus, confertissime subtiliter ruguloso-punctatus, margine reflexo elevato nigro, linea elevata arcuata a capite distinctus; mandibulæ compressæ arcuatæ rufæ, extus integræ. Palpi et antennæ rufæ. Thorax transversus, antice late emarginatus, angulis porrectis acutis, lateribus rotundatus, basi parum sinuatus, undique elevato-marginatus, totus viridi-aureus nitidissimus, in disco lævis, versus latera subtiliter punctulatus. Scutellum latum, breviter triangulare viridi-aureum, apice sub-læve, basi crebre punctatum, et pube densa depressa cinereo-albida tectum. Elytra antice vix thorace latiora, in medio valde dilatata, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, viridi-aurea nitida, obsolete punctato-striata, interstitiis latis planis, in disco subtiliter, versus latera et basin rude profundeque rugoso-punctatis. Alæ fusco-violaceæ, crebre nervosæ. Podex pone elytra acuminatus viridi-aureus, confertissime subtiliter rugulosus, apice pilis longis rigidis fusco-rufis barbatus. Pectoris latera viridia, creberrime punctata, lana densa albida tecta, discus vero et sternum glabra, lævia, viridi-aurea nitidissima, canalicula sub-violacea exarata. Sternum elongatum conicum acuminatum. Abdomen convexum, viridi-aureum nitidissimum, medio sub-læve, lateribus parce punctatum et

pilosum, segmento penultimo angusto atro-violaceo, ultimo viridi-aureo, crebre ruguloso. Pedes robusti, femoribus tibiisque saturate rubris seu cinnabarinis, certo situ cupro-micantibus, tarsis ungulisque atris nitidis.

Systematico in Entomologia Summo, Celeberrimo *Domino P. A. Latreille*, ut venerationis indicium offerunt SCHÖNHERR et GYLLENHAL.

89) RUTELA OLIVIERII: lata sub-depressa orichalcea fulgidissima, elytris dilatatis testaceis, medio cicatricosis, ano pedibusque cinnabarinis violaceo-micantibus.

Habitat in Nova Hollandia. Dom. *Hooker*. Mus. *Schönherr*.

Statura omnino *R. Latreillei*, sed dimidio minor. Caput pallide virescenti-aureum seu orichalceum, splendidum, subtiliter punctulatum, foveola rotunda in medio frontis impressum; clypeus obtuse rotundatus, linea violacea fere recta a fronte distinctus, basi capiti concolor et similiter punctulatus, apice pallide testaceus, margine parum reflexo nigricante; oculi magni nigro-violacei. Antennæ rufo-ferrugineæ. Thorax antice angustior, late emarginatus, angulis parum prominulis, lateribus rotundatus, basi sub-sinuatus, undique anguste reflexo-marginatus, orichalceus fulgidissimus, medio lævis, versus latera minutissime punctulatus, fovea sat profunda intra marginem utrinque impressus. Scutellum latum, breviter triangulare, thoraci concolor, læve, basi crebre punctulatum et pilis depressis cinereo-albidis tectum. Elytra amplissima, in medio laterali fere anguliter dilatata, apice rotundata, supra parum convexa, pallide luteo-testacea, nitore virescenti-aurichalceo secundum varium situm refulgentia, margine suturali late impunctato, stria illi proxima regulari, confertim punctulata; superficies reliqua crebre sed minus ordinate punctata, foveolisque præterea in singuli elytri disco 10 aut 12 magnis profundis, seriatim dispositis, quibusdam oblongis, cicatriformibus, in fundo violaceis. Pygidium sub-acuminatum, violaceo-virescens nitidissimum, vix punctulatum, barba ani longa rigida testaceo-fusca. Pectoris latera rufo-brunnea, crebre punctulata, lana densa cinereo-albida tecta; sternum valde elongatum conicum viride nitidum læve, violaceo-canaliculatum; abdomen viride nitidum, parce punctatum et pubescens, segmento penultimo brevi

atro-violaceo, ultimo rufo-brunneo, violaceo-micante. Pedes robusti saturate cinnabarini, violaceo-splendentes, tarsis paullo obscurioribus.

Auctori operum in re Entomologica præstantissimorum, Celeberrimo *Domino Doctori A. G. Olivier* submisse dedicant

SCHÖNHERR et DALMAN.

90) RUTELA ANALIS: chrysoprasea nitidissima, brunneo-varians, elytris brunneo-testaceis viridi-micantibus, obsoletius punctato-striatis, ano dense fulvo-barbato.

MAS: Clypeo producto chrysopraseo, apice valde reflexo, sub-truncato.

FEMINA: Clypeo brevi rotundato rufo-testaceo, margine apicis parum reflexo.

Habitat in Nova Hollandia. Dom. *Hooker*. Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

Melol. Fulloni parum brevior, sed multo latior, minus convexa. Caput latum, planum viridi-aureum seu chrysopraseum nitidum, antice evidentius punctatum, fronte inæquali, medio longitudinaliter elevata; clypeus linea sub-arcuata elevata a capite distinctus, maris valde productus, apice alte elevatus, reflexus, subtruncatus, disco depressus, viridi-aureus, punctatus, intra margines testaceus, margine ipso nigricante; clypeus feminæ brevis, obtuse rotundatus, semi-lunatus, rufo-testaceus, confertissime subtiliter rugoso-punctatus, margine parum elevato nigricante; oculi globosi brunnei, sæpe violaceo-micantes. Antennæ breves rufo-piceæ. Thorax quoad structuram omnino ut in *R. Olivierii* descriptus, supra crysopraseus fulgidissimus, certo autem ad lucem situ brunneo-testaceus apparet, et violaceo-micans, disco lævissimus, versus latera subtilissime parce punctulatus, foveola intra marginem utrimque impressus. Scutellum latum, breviter triangulare, chrysopraseum nitidum læve, basi crebre punctatum et albido-pilosum. Elytra thorace quadruplo longiora, in medio nonnihil dilatata, apice obtuse rotundata, supra parum convexa, rufo-testacea, interdum brunnea, viridi aureo aut violaceo varie micantia, obsoletius striata et in striis subtiliter punctulata, interstitiis latis planis, crebre, in disco subtiliter, versus latera et apicem profundius punctatis; pone callum apicalem fovea transversa impressa, unde callus magis elevatus apparet. Pygidium sub-

triangulare convexum viridi-aureum nitidissimum sublæve, ano barba longa densa fulva vestito. Pectoris latera obscure viridia, crebre punctata, pube densa cinereo albida vestita; sternum elongatum conicum viridi-aureum nitidissimum læve, violaceo-canaliculatum. Abdominis segmenta anteriora basi atro-violacea, apice viridia nitida, parum punctata et pilosa; penultimum angustum atro-violaceum totum; ultimum viride, apice dense fulvo barbatum. Pedes robusti rufo-testacei, orichalceo-micantes, spinulis tarsisque totis atro-violaceis; tibiæ anticæ externe tridentatæ, nigro-marginatæ.

Obs. Genitale maris in uno specimine exsertum, crassum, elongatum, castaneum nitidum læve, apice profunde bifidum. Dalm.

91) Rutela brunnipennis: chrysoprasea nitidissima, elytris rufo-testaceis unicoloribus, pygidio viridi confertissime ruguloso, ano vix barbato.

Habitat in Nova Hollandia. Dom. *Hooker*. Mus. *Schönherr*.

Statura et similitudo *R. analis*, sed plus duplominor, elytris unicoloribus non micantibus, pygidio crebre ruguloso, ano perparum barbato, etc. distincta. Caput latum planum æquale chrysopraseum nitidissimum, sat crebre punctulatum, linea transversa viridi a clypeo separatum; clypeus brevis rotundatus capiti concolor, confertissime rugulosus, margine elevato nigricante; oculi globosi brunnei. Antennæ breves atro-violaceæ. Thoracis scutellique structura, color, punctura et omnia ut in *R. anali* descripta. Elytra thorace quadruplo longiora, in medio laterali late marginato-dilatata, apice subtruncata, supra parum convexa, rufo-testacea sub-nitida, minime metallico-splendentia, evidenter punctato-striata, interstitiis latis planis, etiam crebre et plerumque seriatim punctatis. Pygidium sub-triangulare virescenti-aureum, confertissime subtiliter strigoso-rugulosum, fimbria ani parum densa, helvola. Pectoris latera nigro-virescentia, creberrime punctulata, lana cinereo-albida tecta; sternum elongatum conicum acuminatum viridi-æneum, canali violaceo basi trifido; abdomen viridi-aureum nitidum, versus latera parce punctatum et pilosum, segmento penultimo angusto atro-violaceo, ultimo basi atro-violaceo, apice viridi, punc-

ctato, parce helvolo-piloso. Pedes robusti pallide testacei, orichalceo-fulgidissimi, tarsis violaceo-virentibus nitidis.

Obs. *R. lanigera* (*Melol.* Auctorum), secundum figuras et descriptiones huic similis videtur, sed major, elytra lutea, abdomen subtus lanatum, femora et tibiæ interne saturate viridia, et habitatio in America boreali, quare a jam descripta certe diversa.

Obs. 2:a. In *R. Latreillei*, *Olivierii*, *anali*, *porosa*, *brunnipenni*, *manicata*, *rufipedi*, etc. mandibula compressa, externe arcuata, integra, nec bidentata aut emarginata ut in *R. glauca*, *suturali*, *punctata*, *Chryside*, *retusa*, etc.; anus in *R. anali*, *Olivieri*, etc. plus minusve barbatus, ideoque hæ circumstantiæ in charactere generis apud Cl. Latreille, Gen. Ins. et Crust. Tom. 2. p. 105, emendandæ. Gyllenh.

92) Rutela porosa: capite, thorace pygidioque rubro-cupreis fulgidis, elytris fusco-testaceis punctato-sub-striatis, foveolis sparsis atro-violaceis.

Habitat in Nova Hollandia; hoc nomine a Dom. *Schneider* communicata. Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal.*

Statura *R. analis*, sed plus duplo minor. Caput latum depressum æquale rubro-cupreum fulgidum, sat crebre punctatum, linea elevata sub-recta a clypeo separatum; clypeus capiti concolor, in masculis subtilissime punctulatus, antice alte et acute elevatus, fere truncatus, margine summo nigro; in femina brevior rotundatus, confertissime subtiliter rugulosus, apice anguste reflexo-marginatus; oculi globosi glauci, nigro-variegati. Antennæ mediocres rufæ. Thoracis structura ut in *R. anali* omnino, supra rubro-cupreus seu igneus fulgidissimus, certo situ testaceo-varians, marginibus viridi-aureis; in medio lævissimus, versus latera subtiliter parce punctulatus, foveolaque laterali utrinque impressus. Scutellum latum breviter triangulare, medio rubro-cupreum, lateribus viridi-aureum nitidum læve, basi punctatum et pilosum. Elytra thorace quadruplo longiora, in medio marginis nonnihil dilatata, apice suturali parum producta, rotundata, supra modice convexa, luride testacea unicolora, non metallico-micantia, punctato-striata, interstitiis latis planis, crebrius inæqualiter punctatis; in singuli elytri disco præterea foveolæ plures sparsæ, majores et profundiores, quædam oblongæ, omnes in fundo atro-violaceæ. Pygidium sub-triangulare, medio rubro-cupreum nitidis-

simum, læve, lateribus viridescens, punctulatum, albido-pilosum, ano piiis helvolis fimbriato. Pectoris latera fusco-virescentia punctatissima, dense albido-pilosa; sternum elongatum conicum acuminatum læve, viridicupreum, fulgidum, obsolete violaceo-canaliculatum. Abdomen rubro-cupreum fulgidum, medio læve, lateribus parce punctatum et pubescens. Pedes robusti rufotestacei, rubro-cupreo-fulgentes, tarsis virescenti-testaceis nitidis. DALM.

93) RUTELA MANICATA: glabra nigra nitida; clypeo, thorace, ano pedibusque rufo-ferrugineis, tibiis posticis incrassato-dilatatis, margine spinulosis.

Habitat in Nova Hollandia. Clar. *Hooker* dono dedit *Schönherr*.

R. Chrysidi fere æqualis, glaberrima, nitida, facie *Dytici*. Caput latum nigro-piceum punctulatum, clypeo linea elevata a fronte distincto, rufo-brunneo, rotundato, subtiliter ruguloso; oculi fusco-nigricantes. Antennæ ferrugineæ, clava obscuriore. Thorax brevis convexus marginatus, lateribus rotundatus, saturate rufus vel chermesinus, nitidus, subtilissime punctulatus; in medio baseos lunulæ duæ crassiores conniventes, basi confluentes, nigræ, et ab apicis margine medio nigro linea centralis angusta nigra, postice bifida, lunulisque ibi juncta. Scutellum breviter triangulare nigrum punctulatum. Elytra ovata, apice subsinuata; supra convexa, nigra nitidissima, disco lævissima; juxta margines obsolete rugulosa, callo humerali et apicali elevatis lævibus. Pygidium sub-triangulare rufo-ferrugineum, crebre ruguloso punctulatum, tenue pubescens. Pectoris latera nigra punctulata, cinereo-hirta; sternum porrectum subulatum, atrum nitidum; abdomen atrum nitidum, ano rufo. Femora et tibiæ cinnabarina nitida, incrassata, angulata, spinulosa; tibiæ paris ultimi crassissimæ, trigonæ, angulo exteriori aculeato, apice pectinato-spinulosæ, spinulis nigricantibus, binis interioribus majoribus, aliisque hinc inde in superficie e foveolis exsertis, tarsi ejusdem paris nigricantes, articulis quatuor primis brevissimis dilatatis compressis manicatis, spinulosis; quinto longo tereti, intus curvo canaliculato, margine interiore setoso, unguibus binis longis arcuatis subulatis nigris.

SWARTZ.

94) RUTELA RUFIPES: (*Cetonia*) Fabr.
Variat colore:
α, Nigra, ano pedibusque rufo-ferrugineis.
β, Nigra, clypeo angulisque anticis thoracis etiam rufo-ferrugineis.
γ, Capite, thorace, scutello elytrisque viridibus, horum disco olivaceo, cupreo-micante, pygidio subcupreo, pedibus rufo-cupreis.
δ, Capite, thorace, scutello, elytris totis abdomineque viridibus, pygidio sub-ferrugineo, pedibus rufis, viridi-cupreo micantibus.
OBS. *Mas*: tarsis 4 anterioribus crassioribus, articulis magis coarctatis, a femina distinguitur. Varietates β, γ, δ, plerumque feminæ; cæterum omni puncto simillimi.
GYLLENH.

95) RUTELA OBLITERATA: luteo-viridis punctatissima, chrysopraseo-micans, elytrorum disco pallide olivaceo, pedibus rufis cupro-nitentibus, pygidio immaculato.
VAR. β. Thoracis lateribus basique flavo-virentibus, elytris totis pallide olivaceis, interstitiis punctulatis.
Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. *Ad. Afzelius*. Mus. *Schönherr*.
Statura et summa affinitas *R. rufipedis* et ejus var. γ, colore similis, sed triplo minor, *Melol. horticolæ* æqualis. Caput latum chrysopraseum nitidum, crebre ruguloso punctatum, linea transversa sub-elevata a clypeo distinctum; clypeus capiti concolor, crebrius et subtilius punctulatus, antice truncatus, angulis rotundatis, marginibus anguste reflexis sub-cupreis; oculi brunnei; Palpi et antennæ rufo-ferrugineæ. Thorax antice angustior, late emarginatus, angulis porrectis acutis; lateribus in medio rotundato-dilatatus, basi tri-sinuatus, undique marginatus, supra convexus, confertissime concinne punctulatus, chrysopraseus nitidus, lateribus aureo-cupreis. Scutellum latum triangulare acutum chrysopraseum, parce punctatum, obsolete canaliculatum. Elytra brevia, thorace vix ultra duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra fere plana, lateribus viridia, disco pallido olivaceo nitida, regulariter et sat profunde punctato-striata, interstitiis planis lævibus; callus posticus juxta medium apicis loca-

tus, retrorsum acuminatus. Pygidium sub-triangulare chrysopraseum, crebre subtiliter strigulosum, pilis rigidis depressis cinereis parce adspersum, nunquam in maculas condensatis, ut in *R. rufipedi*. Pectoris latera chrysoprasea, crebre punctata, densius cinereo-pilosa, sterno glabro lævi porrecto compresso viridi nitido, in medio canaliculato; abdomen chrysopraseum nitidum, medio læve, lateribus punctulatum et dense cinereo-pilosum, segmentorum marginibus cupreis; segmentum penultimum basi atro-violaceum, ultimum testaceum, chrysopraseo-splendidum, punctatum. Pedes crassiusculi rufescentes, chrysopraseo-et cupreo-micantes, tarsis parum obscurioribus.

VAR. β, differt: thoracis lateribus et margine medio baseos flavo-virescentibus, elytrorum lateribus disco concoloribus, pallide olivaceis, illarumque interstitiis striarum subtiliter punctulatis; cæterum simillima, an femina? GYLLENH.

96) RUTELA HISTEROÏDEA: breviter ovata caerulea nitida, supra glabra, subtus cinereo-pilosa, elytrorum disco testaceo, thorace postice tri-sinuato.

Habitat in India orientali. Dom. *Kymell.* Mus. *Gyllenh.*

Magnitudo et fere facies *Histeris sinuati Illig.* brevis, lata, *R. retusa* duplo minor, præsertim brevior. Caput parvum, cum clypeo fere rotundatum, fronte antica nigra, crebre subtiliter rugulosa, vertice caeruleo-virescente; clypeus niger opacus, obsoletissime punctulatus, ruga transversa obsoleta a fronte distinctus, antice obtuse rotundatus, margine reflexo. Antennæ nigro-piceæ, clava oblonga. Thorax antice angustior, sat profunde emarginatus, angulis acutis, lateribus rotundato-dilatatus, basi tri-sinuatus, in medio nempe ante scutellum rotundate, et ab utroque latere oblique; supra valde convexus, transversim pulvinatus, saturate caeruleus nitidus, in medio lævis, versus latera crebre, sed parum profunde punctatus. Scutellum triangulare caeruleum nitidum, parce punctatum. Elytra lata, thorace parum ultra duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra depressa, inæqualia, profunde striata et in striis rude punctata, disco saturate rufo-testacea, nitida, limbo omni suturaque, juxta scutellum et pone medium marginis lateralis latius, caeruleo-nigris. Pygidium breve latum, transversim sub-ovale, convexum,

caeruleum nitidum, medio sub-læve, versus latera crebre rugulosum, pilis reclinatis cinereis parce adspersum. Pectus obscure virescens, crebre punctulatum, villositate cinereo-albida obductum, medio læve, glabrum, sterno producto, compresso; abdomen caeruleo-virescens sub-læve, pilis reclinatis cinereis adspersum. Pedes validi caeruleo-virescentes, pilosi et spinulosi, tarsis piceis, ungulo exteriore pedum quatuor anteriorum apice bifido, reliquis simplicibus.

GYLLENH.

97) RUTELA EMARGINATA: convexa, saturate viridis, violaceo-micans, supra lævissima, glaberrima, clypeo profunde emarginato, pygidio pectoreque strigulosis.

Habitat in Brasilia; a Dom. *Casström*, Consiliario Commerciali et Equ. Aur. de Stella Polari, cum multis aliis pretiosis hujus Regionis Insectis, auctori benevole donata.

Rut. (*Cetonia*) *convexa Oliv.* proxima videtur, paullo minor, valde convexa, undique saturate viridis nitida, certo situ violaceo-micans. Caput parvum rotundatum viride lævissimum, anterius angustatum, profunde emarginatum, fere bifidum, laciniis divaricatis, sub-acuminatis; oculi magni glauci; mandibulæ exsertæ nigræ, exteme profunde sinuatæ. Antennæ breves ferrugineæ, clava obscuriore pilosa. Thorax antice multo angustior, emarginatus, lateribus pone medium rotundato-dilatatus, basi tri-sinuatus, supra convexus, saturate viridis, nitidus, lævissimus, violaceo-micans; linea intra-marginalis impressa latera et angulos anticos cingit. Scutellum magnum, oblongo-triangulare, tertiam partem elytrorum attingens, basi rotundatum, apice acuminatum, thoraci concolor, lævissimum. Elytra thorace triplo longiora, apice obtuse rotundata, supra convexa, thoraci concolora, lævissima, nitida. Pygidium breve latum sub-triangulare viride, subtiliter transver im strigosum. Pectus viride glabrum, crebre transversim strigosum, medio læve, canaliculatum, sterno valde elongato, apice incurvo; abdomen viride nitidum, versus latera parce strigulosum; in singulo segmento series transversa punctorum impressorum, e quibus setulæ breves rigidæ assurgunt, quæ vero facile deteruntur. Pedes corpori concolores, femoribus parce punctatis pilisque nonnullis ferrugineis adspersis, tibiis strigosis, anticis externe tridenta-

tis, ungulo interiore ejusdem paris magno inflexo, compresso, juxta apicem spinula armato, reliquis simplicibus. GYLLENH.

HOPLIA.

98) HOPLIA OBLONGA: oblongior nigra, supra dense pallido-subtus orichalceo argenteoque squamosa, fronte thoraceque testaceo-hirtis, elytris pedibusque rufo-testaceis.

Habitat — — a Dom. *Schneider*, sub nomine *H. aulica* communicata. Mus. *Schönh.* & *Gyllenh.*

Major in hoc genere, *H. bi-lineata* multo longior, sed non latior. Caput planum nigrum, obsolete punctatum, fronte pilis densis erectis fusco-testaceis tecta; clypeus linea transversa obsoleta a fronte distinctus, paullo longior quam in congeneribus, antice obtusus, sub-emarginatus, marginibus parum reflexis, totus niger, rude & profunde punctatus; oculi brunnei; palpi rufescentes articulo ultimo omnium conico, basi crasso, extrorsum attenuato. Antennæ ferrugineæ, articulo primo parum piloso, clava ovata nigro-fusca. Thorax transversus, antice late emarginatus, lateribus rotundato-dilatatus, postice bi-sinuatus, angulis rectis, supra convexus, niger, crebre sed obsoletissime rugulosus, hirsutie erecta sub-testacea vestitus, & præterea squamulis densis depressis ovatis pallidis, certo situ metallico-micantibus tectus. Scutellum breve latum nigrum, obsolete punctatum, parce pilosum, apice rotundatum. Elytra pone humerum dilatata, dein attenuata, apice singulatim rotundata, supra depressa, inæqualia, rufo-testacea crebre, subtiliter punctato-rugulosa, squamulis oblongis pallidis brunneisque mixtis, certo situ metallico-micantibus fere omnino tecta. Margo penultimi segmenti dorsalis pone elytra, pygidium, ut et totum corpus subtus nigra, punctulata, squamulis pallide argenteo- aureo- et orichalceo-micantibus splendidissimis tecta. Pedes longiusculi rufo-ferruginei, pallido-pilosi, squamulis paucis micantibus adspersi, tibiis anticis acute bi-dentatis, ungulis omnino ut in ceteris hujus generis speciebus constructis.

OBS. *Melolonthæ* plures infra memorandæ, ut *M. rupicola, ferrugata, militaris, curialis*, &c. *Hopliis* valde affines & similiter squamosæ, sed clypeus plerisque paullo longior, & unguli pedum posticorum bini, quare huc non pertinent. GYLLENH.

99) Hoplia bi-signata: brunnea, squamulis orbiculatis undique tecta, supra ochraceis, subtus argenteo-margaritaceis, splendidissimis, thorace lineis, elytris maculis duabus fuscis.

Habitat in India orientali. Dom. *Kymell.* Mus. *Gyllenhal.*

Parva, *H. graminicola* angustior, sed paullo longior. Caput cum clypeo sub-quadratum, planum, fronte tota squamulis rotundatis albidis tecta; clypeus brevis brunneus nudus, obsolete punctulatus, antice truncatus, margine reflexo; oculi brunnei; palpi & antennæ ferrugineæ. Thorax transversus, antice emarginatus, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, squamulis orbiculatis pallide luteis vel ochraceis, vix metallico-nitentibus undique tectus, lineis duabus latis approximatis fuscis in medio dorsi, etiam e squamis fusco-coloratis; squamis detritis superficies nigra, punctata. Scutellum parvum triangulare acutum nigrum, fusco-squamosum. Elytra thorace triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra sub-depressa, brunnea, squamulis similibus uti thorax obtecta, immixtis aliis fuscis sparsis; pone medium prope suturam in quovis elytro macula major didyma fusco-squamosa. Pygidium oblongum brunneum, apice rotundatum, in medio sub-canaliculatum, squamulis ochraceis omnino tectum. Corpus totum subtus ut & femora squamulis orbiculatis argenteo-margaritaceis, lilacino-micantibus splendidissimis obtectum; in singulo abdominis segmento series transversa e punctis parvis fuscis. Pedes elongati, rufo-ferruginei, similiter uti corpus squamosi, tibiis anticis externe tridentatis; unguli ut in ceteris hujus generis omnino. Gyllenh.

MELOLONTHA.

100) Melolontha Alopex. Var. β: tota rufo-testacea, elytris pallidioribus, clypeo minus profunde emarginato, margine nigro.

Melolontha Leo. Schneid. Catal.

Habitat in Africa. Mus. *Gyllenh.*

Magnitudo, statura, villositas & omnia ut in α, colore excepto, qui rufo-testaceus, elytris pallidioribus; clypeus minus profunde emarginatus, glaber, obsolete punctatus, rufo-testaceus nitidus, margine elevato nigro.

Gyllenh.

101) MELOLONTHA EMARGINATA: nigra, supra glabra nitida, subtus dense pallido-villosa, clypeo profunde inciso, elytris nigro-castaneis punctatis.

Habitat in Italia, Dom. *Schneider*. Mus. *Gyllenhal*. & *Schönherr*.

M. longitarsi Illig. Mag. 2. p. 218. 6, quoad magnitudinem, staturam, villositatem, &c. simillima & valde affinis, sed clypeus profunde incisus, thorax & elytra evidentius punctata. Caput angustum, cum clypeo fere ovale, planum, nigrum, crebre & profunde rugoso-punctatum, pilis erectis fusco pallidis adspersum, clypeo antice reflexo, in medio profunde sed anguste emarginato vel inciso, fere bifido; oculi glauci. Antennæ pallide testaceæ, clava magna elongata arcuata heptaphylla. Thorax brevis, antice emarginatus, angulis acutis, lateribus valde rotundato-dilatatus, basi bi-sinuatus, angulis rotundatis; supra modice convexus, niger nitidus lævis, sat evidenter punctatus, in medio linea impressa tenui canaliculatus, marginibus undique pilis longis pallidis ciliatus. Scutellum triangulare nigrum nitidum sub-læve, basi villositate longa depressa pallida tectum. Elytra thorace quadruplo longiora, lateribus valde dilatata, apice sub-truncata, supra modice convexa, nigro castanea vel brunnea, nitida, glabra, sat crebre, sed parum profunde, vage punctata, lineis nonnullis sub-elevatis obsoletis notata, juxta quas punctula magis seriata. Segmentum penultimum dorsale, elytris non occultatum, magnum, convexum, nigrum, nitidum, parce punctulatum & pilosum; pygidium parvum perpendiculare sub-rotundum, ejusdem coloris & puncturæ. Pectus nigro-piceum, opacum, crebre punctulatum, villositate longa densa pallida tectum; abdomen breve tumidum nigro-piceum nitidum, crebre punctatum, parcius pilosum. Pedes elongati tenues nigro-picei, dense pallido-pilosi, tarsis longissimis. GYLLENH.

102) MELONTHA CLYPEATA: villosa nigra, clypeo truncato, angulis rectis, elytris concinne punctatis rufo-testaceis, basi, margine laterali suturaque nigris.

Mas: dimidio minor, clypeo longiore; antice magis elevato, pedibus rubris; *femina* pedes nigri.

Habitat ad Caput bonæ Spei Africæ. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Parva; Mas *M. ruricolam* parum excedens, femina dimidio major & ultra. Caput nigrum sub-nitidum, crebre concinne punctulatum, linea transversa recta a clypeo concolore & similiter punctulato distinctum; clypeus antrorsum nonnihil angustatus, apice truncatus, angulis rectis; maris multo longior & antice altius elevatus quam feminæ. Antennæ ferrugineæ, clava ovata fusco-picea, in utroque sexu hexaphylla. Thorax brevis, antice emarginatus, angulis acuminatis, lateribus pone medium rotundato-dilatatus, margine subtiliter crenulato; basi obtuse rotundatus, angulis nullis, supra modice convexus, niger nitidus, glaber, crebre & concinne punctulatus, marginibus pilis longis pallidis ciliatus. Scutellum parvum, anguste triangulum, nigrum, obsolete punctulatum. Elytra magna, thorace quadruplo longiora & ultra, apice obtuse rotundata, supra convexa, læte rufo-testacea nitida, creberrime vage & concinne punctulata, margine baseos & suturali angustius, laterali late nigris. Pygidium breve, lato-triangulare convexum, rufo-testaceum nitidum, crebre punctulatum, ano ciliato. Pectus nigrum nitidum, crebre punctulatum, villositate longa, minus densa, cinerea, obductum; abdomen in medio nigro-piceum nitidum, parum punctulatum & pilosum, limbo laterali & apicis rufo-testaceis, crebrius punctulatis & pilosis. Pedes longiusculi, griseo-pilosi, maris rufo-testacei nitidi, feminæ nigri, tarsis piceis; unguli omnes æquales falcati, in medio interiori dente acuto procumbente armati. GYLLENH.

103) MELOLONTHA PILIFERA: villosa nigra, supra longius pilosa, clypeo retuso rectangulo, elytris abdomine pedibusque rufo-ferrugineis.

Habitat in India orientali. Mus. *Gyllenhal.*

Statura & affinitas præcedentis, ejusque masculis magnitudine æqualis, distincta tamen, corpore supra pilis longis pallidis hirto, punctura thoracis alia, &c. Caput nigrum, crebre subtilissime punctulatum, linea transversa elevato-carinata a clypeo concolore distinctum; clypeus brevis, anterius paullo angustior, undique reflexo-marginatus, antice retusus, vel late sed parum profunde emarginatus angulis prominulis; in disco versus apicem linea elevata transversa, utrinque abbreviata. Antennæ fusco-ferrugineæ, clava hexaphylla. Thorax quoad structuram omnino uti thorax

M. clypeatæ descriptus, totus niger, parum nitidus, crebre punctatus, punctis inæqualibus, majoribus scilicet & minoribus absque ordine mixtis, pilisque, partim minoribus depressis griseis, partim longioribus erecto-reclinatis pallidis, dense obsitus. Scutellum parvum triangulare nigrum punctulatum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra convexa, obscure rufo-ferruginea, basi late nigro-picea, præsertim interius, undique sat crebre vage punctulata, pilisque longis sub-erectis pallidis dense adspersa. Pygidium breve latum, valde convexum, rufo-ferrugineum, crebre sed obsolete punctulatum, dense pallido-pilosum. Pectus nigro-piceum punctulatum, villositate minus densa pallida obductum; abdomen rufo-piceum, creberrime punctulatum, pallido-pilosum. Pedes elongati validi, rufo-ferruginei, pallido-pilosi, ungulis parvis arcuatis, interne dente simili ut in *M. clypeata* armatis. GYLLENH.

104) MELOLONTHA NANA: villosa, capite nigro, clypeo emarginato, thorace rufo-castaneo, elytris flavo-testaceis nitidis, sutura margineque brunneis.

Habitat ad Caput bon. Sp. forte? Mus. *Schönherr.*

Statura & affinitas *M. clypeatæ et piliferæ*, sed minuta, *M. ruricola* duplo minor. Caput latum nigrum nitidum, creberrime subtiliter punctulatum, linea transversa elevata recta a clypeo concolore distinctum; clypeus brevis, anterius paullo angustior, marginibus elevatis, antice late emarginatus. Antennæ ferrugineæ, clava fusco-picea hexaphylla, lamellis interioribus brevioribus acutis. Thorax quoad structuram omnino uti apud *M. clypeatam* descriptus, totus rufo-castaneus nitidus, crebre & concinne æqualiter punctulatus, antice & ad latera pilis longis pallide cinereis adspersus. Scutellum parvum triangulare piceum, obsolete punctulatum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra convexa, flavo-testacea nitida, certo ad lucem situ fere aurichalceo-micantia, creberrime & concinne vage punctulata, sutura anguste, margine laterali latius, sed dilutius & indeterminate brunneis. Pygidium breve, lato-subcordatum, convexum testaceum, crebre punctulatum. Pectus piceum punctulatum, sat dense cinereo-pilosum; abdomen rufo-piceum, parce punctulatum, densius cinereo-pilosum. Pedes elongati rufo-testacei, griseo-pilosi, tibiis anticis externe

dente apicali longo acuto, lateralibus nullis; tarsi elongati tenues, unguiis arcuatis æqualibus, interne denticulo medio procumbente armatis.

Obs. Tres ultimæ jam descriptæ species facie et magnitudine a cæteris hujus Familiæ multum diversæ; Ungulorum structura vero satis congrua, & præcipue antennarum clava multi-phylla, illas, una cum *M. longitarsi* & *emarginata*, heic locare suadent.

GYLLENH.

105) MELOLONTHA SERRULATA: fusco-picea opaca, confertissime subtiliter rugulosa, pilis brevibus depressis griseis vestita, clypeo integro, thoracis lateribus crenulatis.

Mas: paullo minor, clava antennarum longiore æquali, pygidio emarginato.

Femina: Lamella intima clavæ antennarum paullo breviore, pygidio obtuse rotundato.

Habitat in India Or. — Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

Magnitudo & fere statura *M. vulgaris*, sed postice valde obtusa. Caput magnum fusco-piceum, confertissime subtiliter rugulosum, pilis depressis cinereis crebre adspersum, clypeo concolore, similiter ruguloso & piloso; ruga transversa a fronte distincto, marginibus reflexo, antice truncato, angulis rotundatis; oculi magni globosi castanei vel glauci. Antennæ fusco-ferrugineæ, clava maris longiore, lamellis æqualibus, feminæ paullo breviore, lamella intima nonnihil abbreviata; clava in utroque sexu 7-phylla. Thorax brevis transversus, antice truncatus, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, uti caput rugosus & pilosus; margo anticus & laterales anguste reflexi, subtiliter crenulati. Scutellum breve, latum, semiorbiculatum, colore, rugulis & pilositate thoracis. Elytra magna, thorace fere quadruplo longiora, apice subtruncata, supra modice convexa, plerumque dilutius fusco-ferruginea, confertissime subtiliter rugulosa & pilosa, lineis quatuor elevatis obsoletis in singulo notata, callo humerali & apicali elevatis. Pygidium fusco-piceum sub-nitidum, longius pilosum & obsoletius rugulosum, in masculis apice sat profunde emarginatum, in femina brevius, obtuse rotundatum. Pectus fusco-piceum, obsolete rugulosum, pubescentia longiore & densiore, pallidius grisea, vestitum; abdomen fusco-

piceum sub-nitidum, parce & obsolete rugulosum, pilis minutis depressis griseis adspersum. Pedes longiusculi fusco-picei, femoribus tibiisque rugulosis, longius pilosis; tibiæ anticæ externe tridentatæ.

GYLLENH.

106) MELOLONTHA FERVENS: glabra castanea sub-nitida, thorace parce punctato, lateribus obsolete crenulato, clypeo sub-emarginato, elytris ruguloso-punctatis, pectore dense villoso.

Melolontha fervida. Oliv. Ent. I. 5. p. 24. 21. T. 9. f. 109? Ed. Illig. II. p. 44. 21.

Habitat in America boreali. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal.*

M. solstitiali sæpe major, præsertim latior; variat tamen illi æqualis aut minor; statura & affinitas cæterum *M. serratæ;* color aut saturate aut dilutius castaneus, in junioribus etiam testaceus, capite semper obscuriore. Caput nigro-castaneum sub-nitidum, fronte elevata convexa, crebre & profunde punctata, vertice ipso lævi. Clypeus brevis, crebre punctatus, dilutius rufo-castaneus, margine reflexo, in medio leviter emarginato, linea sub-biarcuata a fronte distinctus; oculi castanei. Antennæ rufo-testaceæ clava pallida, maris elongata, arcuata, feminæ ovata. Thorax brevis transversus, antice parum profunde emarginatus, lateribus modice rotundato-dilatatus, margine anguste reflexo, inæqualiter inciso vel crenulato; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, castaneus nitidus, versus latera plerumque dilutior, minus crebre et parum profunde punctatus, punctis in fundo planis. Scutellum breve latum sub-triangulare, thorace concolor, parce punctatum. Elytra thorace parum latiora, sed quintuplo longiora, apice sub-truncata, supra modice convexa, dilutius castanea, sub-nitida, confertim, sed parum profunde, vage punctata, interstitiis subtiliter strigoso-rugulosis, costisque elevatis valde obsoletis notata. Pygidium fere perpendiculare convexum, sub-cordatum, dilute rufo-castaneum nitidum, parce obsolete punctatum. Pectus obscure castaneum opacum, crebre punctulatum, villositate longa densa pallida seu flavescente tectum; abdomen jam saturatius castaneum, jam rufo-testaceum, nitidum, parce subtiliter punctulatum, pilis parvis depressis griseis versus latera adspersum.

Pedes longi tenues rufo-testacei nitidi, parum punctati et pilosi, tarsis longissimis.

GYLLENH.

107) MELOLONTHA KNOCHII: nigro-castanea glabra sub-nitida, clypeo emarginato, thorace rude cicatricoso, lateribus crenato, elytris confertim rugu-loso-punctatis, pectore parum villoso.

Habitat in America septentrionali, Georgia. Dom. *Hooker*. Mus. *Schönherr*.

Statura et affinitas *M. ferventis*, et maximis ejus æqualis, sed abunde diversa, thorace crebre et profunde cicatricoso, lateribus evidenter crenato, elytris brevioribus, etc. Caput breve nigro-castaneum nitidum, fronte convexa, confertissime profunde punctata; clypeus brevis paullo dilutior, similiter punctatus, margine alte reflexo, in medio evidenter emarginato; linea obsoleta bi-arcuata frontem a clypeo distinguit. Antennæ rufo-ferruginea. Thorax brevis transversus, antice sub-emarginatus, lateribus rotundato-dilatatus, margine elevato, reflexo, crebre inciso seu crenato, denticulis inæqualibus obtusis; basi sub-truncatus, supra convexus, nigro-castaneus sub-nitidus, foveolis rudis cicatriciformibus undique confertissime obsitus. Scutellum breve latum sub-triangulare concolor, parce punctatum. Elytra thoracis basi paullo latiora, et illo vix quadruplo longiora, apice truncata, supra modice convexa, dilutius castanea, sub-nitida, confertissime, sed parum profunde, vage punctato-rugulosa, costis nonnullis elevatis obsoletis notata. Pygidium rotundatum convexum rufo-castaneum nitidum, parce punctulatum, undique marginatum. Pectus castaneum, confertissime punctatum, pilis depressis griseis parce obductum; abdomen dilute rufo-castaneum nitidum, parce subtilissime punctulatum, versus basin et latera pilis paucis brevibus adspersum. Pedes longiusculi rufo-castanei nitidi, parum punctulati et pilosi; tibiæ anticæ externe sub-tridentatæ, ultimo longo, arcuato, supremo parvo obtuso.

Entomologo acutissimo Celeb. Dom. Prof. *A. W. Knoch*, reverenter dedicant

SCHÖNH. & GYLLENH.

108) MELOLONTHA MUCIDA: dilute castanea glabra, opaca, griseo-micans, clypeo sub-integro, tho-

race lateribus angulariter dilatato sub-crenulato, elytrisque umbilicato-punctulatis.

VAR. *β*. Fusco-castanea, clypeo sub-emarginato, pectoris lana grisea.

Habitat in Indiis. Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

M. solstitiali paullo longior, sed non latior; corpus totum aut dilutius fusco testaceum, aut saturatius fusco-castaneum, opacum, supra glabrum, sed quasi mucore grisco aut plumbeo, secundum varium situm renitens. Caput breve, saturatius castaneum, sub-nitidum, confertissime profunde punctatum, linea impressa, bi-arcuata a clypeo distinctum: clypeus brevis transversus concolor, similiter punctatus, marginibus reflexus, rotundatus, integerrimus. Antennæ ferrugineæ, clava ovata. Thorax brevis transversus, antice vix emarginatus, angulis obtusis, lateribus in medio fere angulariter valde dilatatus, margine angusto elevato, obsolete inæqualiter crenato, pilis longis ferrugineis simplici serie ciliato; postice perparum bi-sinuatus, angulis obtusis; supra convexus, æqualis, castaneus aut rufo-testaceus sat crebre subtiliter punctatus, punctis sub oculo acute armato umbilicatis. Scutellum breve, latum, sub-triangulare concolor, parce punctatum, basi pallido-ciliatum. Elytra thorace quintuplo longiora, apice sub-truncata, supra convexa, dilutius testacea, opaca, mucore plumbeo renitentia, lineis elevatis obsoletis notata, suturali recta, mediis obliquis, et præterea punctis parvis umbilicatis crebre adspersa, interdum sub-seriatis, in disco rarioribus. Pygidium sub-triangulare convexum, elytris concolor, crebre punctatum, undique marginatum. Pectus fusco-castaneum opacum, crebre punctulatum, lana densa pallida tectum; abdomen tumidum testaceum sub-nitidum, parce subtiliter puntulatum, glabrum. Pedes elongati rufo-testacei nitidi, pilis pallidis adspersi, femoribus parce, tibiis crebrius et profundius punctatis.

VAR. *β*: differt colore saturatiore, fusco-castaneo; clypeo in medio leviter emarginato, et lana pectoris minus densa, grisea; cæterum simillima.

OBS. *Melol. micans* Knoch N. Bevtr. I. p. 77. 4. huic quoad staturam et colorem simillima, sed duplo minor, clypeus evidentius emarginatus, thoracis latera minus et rotundate dilatata, crebrius crenulata; puncta thoracis longe majora, pleraque interne linea semicirculari impressa; puncta elytrorum etiam majora

umbilicata: pectus minus dense villosum; abdomen valde tumidum, pilis parvis adspersum.

GYLLENH.

109) MELOLONTHA GEORGICANA: brevior pilosa fusco-castanea, thorace æquali sub-nitido creberrime punctulato, lateribus crenulato, elytris opacis griseo-micantibus, spinis tibiarum posticarum longis acutis.

Habitat in Georgia Americes. Dom. *Hooker* Mus. *Schönherr*.

M. solstitiali non longior sed paullo latior, minus convexa. Caput nigro-brunneum, fronte fere plana, confertissime rugoso-punctata, pilis longioribus griseis sub-erectis sat crebre adspersa; clypeus linea bi-arcuata a fronte distinctus, dilutius rufo-castaneus, parum pilosus, profunde punctatus, reflexo-marginatus, antice leviter emarginatus: oculi magni nigro-castanei nitidi. Antennæ rufo-ferrugineæ, clava maris longa sub-recta. Thorax brevis transversus, antice emarginatus, angulus parum prominulis, lateribus in medio valde rotundato-dilatatus, margine anguste reflexo, evidenter et crebre crenato, ciliato; basi bi-sinuatus, angulis rectis; supra modice convexus, nigro-brunneus sub-nitidus, confertissime punctulatus, vix vero rugulosus, pilis plurimis griseis, partim depressiusculis, partim erectis, adspersus. Scutellum breve, lato-triangulare, thoraci concolor, parcius punctatum et pubescens. Elytra thorace quadruplo longiora, apice singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, dilutius rufo-castanea opaca, certo situ plumbeo griseoque nitentia, sat crebre subtiliter punctulata, pilis brevibus depressis griseo-albidis, e quovis puncto assurgentibus, adspersa, interjectis aliis longis erectis juxta basin et regionem scutelli. Pygidium sub-cordatum testaceum, confertissime subtiliter punctulatum, pilisque brevibus depressis griseo-albidis adspersum, margine undique elevato obscuriore. Pectus rufo-brunneum, confertissime punctulatum, villositate longiore cinereo-pallida vestitum: abdomen tumidum castaneum sub-opacum, crebre subtiliter punctulatum, pilis brevibus depressis griseo-albidis adspersum. Pedes longi, femoribus rufo-testaceis nitidis, parum pilosis et punctatis, tibiis saturatioribus rugulosis, anticis externe acute tridentatis; spinæ duæ apicales tibiarum posticarum corneæ, longæ, ar-

cuetæ, acutæ; dens in medio interiori ungulorum acutus, sed apicali dimidio brevior.

Obs. *M. Ilicis*, Knoch N. Beytr. I. p. 75. 3. jam descripta simillima et valde affinis, sed statura longior, thorax confertissime rugulosus, in medio sub-carinatus, pilis crebris depressis, nullis vero erectis obsitus; thoracis latera obsoletius crenulata; spinæ apicales tibiarum posticarum breviores, compressæ, apice membranaceo-diaphanæ, et dens interior ungulorum multo longior, apicali fere æqualis, unde vere distinctæ species videntur. Gyllenh.

110) Melolontha crenata: glabra castanea nitida, foveolato-punctata, capite transversim carinato, thorace lateribus crenato, postice elevato, pectore pallido-villoso.

Habitat in Sierra Leona Africes Dom. Prof. *Afzelius* Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

M. solstitiali major, latior, magis convexa. Caput breve latum nigro-castaneum, nitidum, confertissime et profunde punctatum, carina transversa arcuata, valde elevata, antice levi, a clypeo concolore et similiter punctato distinctum; frons plana, vertice ipso elevato-carinato; clypeus brevissimus depressus, margine reflexo, obtusissime rotundato, vix emarginato; oculi glauci, supra parum conspicui. Antennæ ferrugineæ, clava maris elongata, recta, feminæ ovata, utriusque tri-phylla. Thorax brevis latus transversus, antice late emarginatus, angulis obtusis, lateribus rotundato-dilatatus, margine reflexo, evidenter et crebre crenato, ciliato; basi sub-bisinuatus, angulis obtusis; intra basin utrinque sub-retusus, unde exstat quasi carinula elevata transversa arcuata utrinque; supra valde convexus, totus castaneus nitidus, foveolis crebris undique impressus, pro vario inspectu variam formam mentientibus, aut orbiculatis, aut semi-circularibus, aut didymis; in singuli medio setula minima depressa albida observatur, cujus ope variatio ludicra formæ force causatur. Scutellum breve latum triangulare, thoraci concolor, punctis paucis similibus impressum. Elytra thorace fere puadruplo longiora, apice singulatim obtuse rotundata, dilutius rufo-castanea, nitida, æqualia, absque costis elevatis, punctis seu foveolis, pro vario aspectu aliam formam præbentibus, setula simili uti foveolæ thoracis ornatis, crebre vage

adspersa; interstitia foveolarum, seu ipsa superficies elytri, oblique inspecta, lævis, nitida, perpendiculariter vero visa, rugosa apparet. Pygidium sub-rotundatum castaneum convexum, foveolis similibus uti thorax crebre adspersum. Pectus castaneum sub-nitidum, subtiliter punctulatum, pilis longis fusco-testaceis parum dense villosum; abdomen plerumque dilutius rufo-castaneum nitidum, versus latera parce punctulatum, pilisque parvis depressis adspersum. Pedes longiusculi rufo-castanei nitidi, parum punctati et pilosi; unguli interne, apicem propius, dente longo valido muniti.

Obs. *M. reflexa* Fabricii, præsertim secundum accuratiorem descriptionem Illigeri in Oliv. Vers. Germ. II. p. 45. 22. not. (p), huic proxima videtur, non vero eadem, ut ex comparatione descriptionum hauriri possit.

Obs. Sub nomine: *Geotrupes serratus*: insectum communicavit Dom. Schneid. jam descripto omni puncto simillimum, modo magnitudo fere triplo minor, pygidium minus convexum, parce punctatum, et dens ungulorum brevior; an vero species distincta secundum specimen unicum pro certo dijudicare non audeo.

Gyllenh.

111) Melolontha retusa: dilute castanea nitida, undique glabra, creberrime foveolato-punctata, capite transversim carinato, thorace lateribus crenulato, postice elevato.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

M. crenata plus triplo minor, magisque elongata, cæterum quoad partium formationem simillima et affinis; distincta tamen: elytris multo longioribus, pectore glabro, abdomine undique crebre et profunde punctato, etc. — Capitis et clypei structura, punctura, carina transversa elevata, omnino ut in *M. crenata* descripta, modo color dilutius rufo-castaneus. Thorax etiam omnimode ut in illa, sed dilutior, et setulæ albidæ in foveolis impressis nullæ. Scutellum paullo longius, exacte triangulare, thoraci concolor, foveolis minus crebris impressum. Elytra thorace quintuplo longiora, dilute rufo-castanea, nitida, foveolis sub-umbilicatis creberrime adspersa, æqualia, absque lineis elevatis; setulæ nullæ albidæ in foveolis. Pygidium rotundatum convexum, elytris concolor, confertissime foveolatum, foveolis sat profundis, orbiculatis. Pectus fusco-casta-

neum sub-nitidum, creberrime et sat profunde puncta-tum, omnino glabrum; venter dilutius rufo-testaceus, parum nitidus, undique confertim ruguloso-punctatus. Pedes elongati rufo-castanei nitidi, perparum pilosi et punctati. GYLLENH.

118) MELOLONTHA BI-MACULATA. Fabr. Oliv.

VAR. β. Thorace nigro, lateribus late testaceis, elytris nigro-brunneis, limbo pallide testaceo.

Habitat in India Orientali. Dom. *Gründal*. Mus. *Schönherr* et *Gyllenhal*.

OBS. Species vix rite determinata; descriptio Fabricii egena; figura Olivierii nimis elongata, angusta et nostris minor, quare descriptio accuratior adhibenda.

M. solstitiali brevior, sed latior, minus convexa, statura *M. serratæ* Fabr. etsi duplo minor, supra tota glabra, subtus parce pilosa. Caput cum clypeo rotundatum rufo-testaceum, crebre et profunde rugoso-punctatum, vertice ipso nigricante; clypeus brevis, linea impressa arcuata a fronte distinctus, antice leviter emarginatus, modice reflexus. Antennæ ferrugineæ, clava fuscescente. Thorax transversus, antice emarginatus, angulis obtusis, lateribus valde dilatatus, margine reflexo crenulato, præsertim anterius; basi bisinuatus, angulis sub-acuminatis; supra convexus, niger nitidus, sat crebre punctatus, lateribus totis late testaceis; in medio dorsi ruga longitudinalis elevatior, inæqualis, impunctata. Scutellum breve, lato-triangulare, brunneum, vix punctatum. Elytra thorace vix quadruplo longiora, apice singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigro-brunnea nitida glabra, limbo laterali et apicali late, indeterminate, flavo-testaceo; præterea parce punctata, costis aliquot elevatis notata, quarum interstitia obsolete striato-punctata. Pygidium rotundatum, pallide testaceum, nitidum, parce et obsolete punctatum. Pectus fusco-testaceum, crebre subtiliter punctulatum, pilis griseis depressis, parum densis, adspersum: abdomen pallide testaceum nitidum, parum punctatum et pilosum. Pedes mediocres pallide testacei nitidi, parum punctati et pilosi; tibiæ anticæ extrorsum obsolete tri-dentatæ, nigro-marginatæ; spinulæ apicales tibiarum posticarum latæ, compressæ, apice membranaceo-diaphanæ: dens interior unguiorum brevis acutus, in medio locatus.

GYLLENH.

113) Melolontha vulpina: pilosa rufo-ferruginea, varie albido-micans, capite sub-orbiculato emarginato, thorace crebre subtiliter punctulato, elytris dilutioribus nitidis.

Habitat in Rossia meridionali. Dom. *Steven*. Mus. *Schönherr*.

M. solstitiali paullo minor, brevior. Caput cum clypeo sub-orbiculatum, rufo-ferrugineum, crebre punctatum, fronte verticeque elevatis, rugis duabus transversis, anteriore in medio frontis, bi-arcuata, posteriore in ipso vertice, irregulari: clypei margo valde elevatus, in medio profunde emarginatus, margine late nigro. Antennæ rufo-ferrugineæ, clava maris magna, sub-recta. Thorax antice angustior, fere truncatus, lateribus valde rotundato-dilatatus, margine angusto, obsolete crenulato; basi bi-sinuatus, supra convexus, saturate rufo-ferrugineus, parum nitidus, undique confertissime punctulatus, in medio dorsi canalicula abbreviata impressus, pilis longis albidis reclinatis minus dense adspersus, lateribus secundum varium aspectum albo- & niveo-micans. Scutellum triangulare thoraci concolor, crebre punctatum, apice rotundatum, basi lana densa albida tectum. Elytra thorace plus triplo longiora, apice truncata, supra modice convexa, dilutius testacea, nitida, irregulariter ruguloso-punctata, costis nonnullis elevatis sub lævibus notata, pilisque parvis cinereis parce adspersa, basi lana densa albida, e pectore adscendente, cincta. Pygidium sub cordatum, convexum, confertissime punctulatum, pilosum, albo-micans. Pectus lana longa densissima albida omnino tectum; abdomen rufo-testaceum nitidum, crebre punctulatum, parce pilosum, lateribus albo-micans. Pedes longiusculi rufo-ferruginei nitidi, crebre punctulati & pilosi, tibiis anticis externe dentibus tribus validis acutis nigro-marginatis, armatis; tibiæ posticæ apice valde dilatatæ, infundibuliformes, spinis duabus, exteriore longa arcuata, apice diaphana; unguli omnes interne, paullo infra medium, dente brevi acuto armati.

Obs. *M. pulverea*, Knoch. N. Beytr. I. p. 88. 4. huic in multis simillima & affinis, sed longior; clypeus rotundatus integerrimus, & unguli juxta ipsam basin interiorem dente obtuso armati.

Gyllenh.

114) Melolontha Caucasica: pilosa rufo-ferruginea, clypeo obtuse rotundato, emarginato, thorace minus crebre punctato, spinis apicalibus tibiarum posticarum brevibus compressis.

Habitat in Rossia meridionali, Caucaso. Dom. *Steven*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo, statura & color *M. vulpinæ* omnino, diversa tamen, clypeo antice latiore, obtuso, nec orbiculato, thorace punctis majoribus, minus crebris impresso: spinulis apicalibus tibiarum posticarum brevibus, sub-æqualibus, compressis, & corpore unicolore, nec pro vario aspectu albo-micante, &c. Caput breve rufo-ferrugineum, confertissime rugoso-punctatum, parce pilosum, vertice in carinam transversam flexuosam, erosam, elevato; clypeus capiti concolor, linea arcuata impressa ab illo distinctus, minus profunde punctatus, depressus, margine elevato nigro, antice obtuso, in medio sat profunde emarginato. Thoracis structura ut in præcedente, supra convexus, dilutius rufo-testaceus, nitidus, pilis rarioribus longis erectis pallidis adspersus, punctisque majoribus, minus crebris, impressus. Scutellum triangulare thoraci concolor, parce punctatum, apice acutum. Elytra quoad formam ut in priori, pallidius rufo-testacea, profundius vage punctata, basi ipsa transversim profunde impressa, ibique longius pilosa, superficie reliqua pilis paucis minutissimis depressis adspersa. Pygidium sub-cordatum convexum, dilute testaceum, creberrime punctulatum, subtiliter pilosum. Pectus pallide testaceum, subtilissime punctulatum, lana longa mollissima flavescente tectum: abdomen pallide testaceum nitidum, versus latera crebre, in medio parum punctulatum, tenuiter pilosum. Pedes rufo ferruginei nitidi, longius pallido-pilosi, tibiis anticis externe nigro-marginatis, tridentatis, dente extimo longo, superioribus parvis obtusis; tibiæ ultimi paris apice dilatatæ, infundibuliformes, spinulis duabus brevibus, sub-æqualibus, compressis, apice diaphanis; unguli ut in *M. vulpina* constructi.

Gyllenh.

115) Melolontha bi-carinata: pilosa rufo-ferruginea, capite orbiculato integro, transversim bicarinato, thorace subtiliter punctulato hirto, elytris pallidioribus sub-glabris, profunde punctatis.

Habitat. — — — Mus. *Schönherr*.

Parva in hac Familia, *Mel. horticola* vix longior, sed paullo latior. Caput cum clypeo sub-orbiculatum, rufo-ferrugineum, sat crebre sed minus profunde punctatum, fronte verticeque pilis longis erectis pallidis adspersis; in ipso vertice carina transversa elevata bi-arcuata, & alia major, elevatior, semel arcuata, anterius, ubi clypeus a fronte distinguitur, ambæ fusco-brunneæ, juxta margines connexæ; clypeus brevis rotundatus integerrimus, margine reflexo brunneo; oculi magni castanei. Antennæ pallide testaceæ. Thorax transversus, antice late emarginatus, lateribus rotundato-dilatatus, subtiliter crenulatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, æqualis, rufo-ferrugineus, crebre subtiliter punctulatus, villositate longa, satis densa flavescente vestitus. Scutellum oblongo-triangulare, thoraci concolor, crebre punctulatum, basi villositate flavescente tectum. Elytra thorace vix quadruplo longiora, apice simul rotundata, supra modice convexa, pallidius testacea, nitida, punctis majusculis impressis undique crebre vage adspersa, versus basin sub-pilosa, cæterum glabra. Pygidium sub-cordatum, pallide testaceum nitidum, parce punctulatum & pilosum. Pectus pallide testaceum, crebre subtiliter punctulatum, lana densa mollissima helvola tectum; abdomen pallide testaceum nitidum, vix punctulatum, parum pilosum. Pedes rufo-testacei nitidi, femoribus dense lanatis, tibiis anticis externe acute tridentatis, ungulis omnibus apice bifidis, dente interiore paullo breviore.

Obs. *Mel. ruficolli* Fabr. Oliv. statura, colore & carinis capitis similis videtur, sed illa secundum descriptiones omnino glabra erit, thorax profunde punctatus, &c., unde certe distinctæ species.

Gyllenh.

116) Melolontha cylindrica: elongata glabra, brunneo-testacea nitida, undique crebre punctata, clypeo sub-truncato integro, vertice nigricante.

Habitat in India Orientali, Dom. *Kymell.* Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal.*

M. brunnea longior sed vix latior, sub-cylindrica, tota supra & subtus glabra. Caput breve transversum, vertice elevato nigro, fronte plana ferruginea nitida, parce punctulata; clypeus brevissimus, linea impressa a fronte distinctus, illique concolor, crebrius punctulatus, antice truncatus, angulis tamen rotundatis, margi-

nibus reflexis nigricantibus; oculi magni nigro-castanei. Antennæ sub-testaceæ, clava ovata fusca, pilosa. Thorax brevissimus transversus, antice parum emarginatus, lateribus rotundato-dilatatus, basi fere recta truncatus, undique anguste marginatus, supra valde convexus, pulvinatus, brunneo-testaceus nitidus, crebre & profunde punctatus. Scutellum breve latum sub-triangulare, thoraci concolor, sat crebre punctatum. Elytra latitudine thoracis, at illo sextuplo longiora, apice singulatim rotundata, supra valde convexa, cylindrica, pallidius testacea nitida, confertissime & profundius quam thorax punctata; in disco lineæ nonnullæ elevatæ, obsoletæ, juxta quas puncta crebriora sub-seriata. Pygidium sub-cordatum convexum, luride testaceum, nitidum, crebre sed minus profunde punctatum. Corpus totum subtus luridum vel glauco-testaceum nitidum, sat crebre & profunde punctatum, glabrum. Pedes longiusculi tenues, glauco-testacei, pilis paucis parvis adspersi, tibiis anticis externe tridentatis, dente extimo longo arcuato, reliquis parvis; unguli omnes apice bifidi, dente interiore paullo breviore.

GYLLENH.

117) MELOLONTHA GIBBULOSA: breviter ovata rufo-testacea nitida, thorace elytrisque lævissimis glabris, subtus villosa, pedibus crassis, tarsis tenuibus.

Habitat in Brasilia; Mus. *Gyllenhal*, e Mus. *Schneideri*.

Minor in hac Familia, *M. lusitanica* multo brevior, sed vix angustior, valde convexa. Caput oblongum rufo-testaceum, vertice lævi, fronte convexa, sat crebre punctata, in medio ruga transversa sub-carinata; clypeus semi-circularis, capiti concolor; basi profundius, antrorsum parce subtiliter punctulatus, margine alte reflexo nigricante, in medio paullulum emarginato. Antennæ pallide testaceæ, clava ovata, lamellis sex composita, intima breviore acuta stipuliformi. Thorax antice angustior, profunde emarginatus, angulis acutis, lateribus æqualiter rotundatus, margine angusto obsolete crenulato, basi bi-sinuatus, supra valde convexus, fere pulvinatus, rufo-testaceus nitidus, lævissimus & glaberrimus, exceptis ciliis longis helvolis sub margine laterali utrinque ut & baseos, e pagina inferiore erumpentibus; in medio dorsi rudimenta abrupta canaliculæ impressæ, & versus marginem utrinque

foveola ordinaria obsoleta. Scutellum triangulare concolor læve, basi lana decumbente vestitum. Elytra thorace vix triplo longiora, apice late truncata, supra modice convexa, rufo-testacea nitida glabra, striolis impressis lævibus 2 seu 3 in singulo, at obsoletissimis; margo & apex subtus ciliato-pilosa. Pygidium sub-conicum, pallide testaceum nitidum, in medio longitudinaliter elevatum, parce obsolete punctulatum, undique elevato-marginatum, pallido-ciliatum. Pectus pallide testaceum, subtilissime crebre punctulatum, villositate longa concolore vestitum; abdomen rufo-testaceum nitidum, versus latera crebrius, in medio rarius punctatum, pilisque longiusculis parce adspersum. Femora crassa rufo-testacea, dense testaceo-pilosa; tibiæ etiam crassæ, concolores, anticæ externe acute tridentatæ; posteriores quatuor apice crassiores, infundibuliformes; tarsi valde tenues, articulis apice crassioribus nodosis, ungulis parvis æqualibus falcatis, interne, basin propius dente obtusiusculo armatis. GYLLENH.

118) MELOLONTHA FALLÉNII: villosa fusco-picea, clypeo, thoracis lateribus elytrisque rufo-testaceis, his ruguloso- punctatis, pygidio punctulato testaceo, villositate thoracis densa erecta.

Habitat in Suecia meridionali Dom. *Billberg*.

M. solstitiali simillima & valde affinis, sed fere triplo minor; elytra rufo-testacea, evidentius rugoso-punctata, absque lineis albidis; pygidium punctulatum, nec granulatum, &c. Frons & vertex nigro-picea, pallido-pilosa, crebre & profunde rugoso-punctata: in medio frontis foveola longitudinalis impressa, & inter oculos rugula transversa interrupta obsoleta; clypeus brevis, linea impressa a fronte distinctus, rufo-testaceus, crebre subtilius punctatus, alte reflexo-marginatus, margine brunneo antice retuso, vix vero emarginato; oculi brunnei. Antennæ rufo-testaceæ, clava maris magna, elongata. Thorax transversus, antice angustior, parum emarginatus, lateribus rotundato-dilatatus, margine angusto, obsolete crenulato; basi bi-sinuatus, angulis sub-rectis; supra convexus, fusco-piceus, lateribus late rufo-testaceis, in disco creberrime, versus margines parcius subtiliter punctulatus, undique pilis longis pallidis, parum reclinatis, dense vestitus: in medio dorsi canaliculа longitudinalis impressa, punctata. Scutellum breve, latum, rufo-testaceum, crebre punctatum,

apice obtuse rotundatum, basi lana longa flavescente tectum. Elytra thorace plus triplo longiora, apice truncata, supra modice convexa, rufo-testacea nitida, sat crebre & evidenter punctata, versus suturam rugulosa, costisque nonnullis elevatis notata, pilis pallidis, circum scutellum longioribus erectis, in reliqua superficie parvis, rarioribus, reclinatis adspersa. Pygidium cordiforme convexum, pallidius testaceum, crebre subtiliter punctulatum, pilis brevibus erectis parce adspersum. Pectus fusco-piceum, crebre subtiliter punctulatum, lana longa densa molli pallida vestitum; abdomen fusco-piceum, subtilissime crebre punctulatum, pilis depressis cinereo-albidis undique, versus latera densius, tectum, & præterea in cujusvis segmenti medio series e pilis erectis rigidis spiniformibus castaneis; venter maris in medio canaliculatus, feminæ convexus. Pedes longiusculi rufo-testacei nitidi, parcius pilosi & punctati; tibiæ anticæ externe brunneo-marginatæ, plerumque solum dente apicali, interdum altero superiore parvo armatæ.

Celeb. Dom. C. F. Fallén, Hist. Nat. Prof. Lundensis, Ins. Sv., præcipue *Rhyngota* et *Antliata* eximie dilucidavit.

Obs. *M. solstitialis Linnæi*, præter magnitudinem triplo majorem, colorem & puncturam elytrorum, &c. præterea differt: villositate thoracis quoad partem depressa, interjectis pilis longioribus erectis; pilositate pygidii multo longiore, densiore, pygidioque granulato, &c. Character distinctivus ideo sic proponendus:

M. solstitialis: villosa fusco-picea, clypeo thoracisque lateribus rufo-testaceis, elytris pallidis, obsolete punctatis, albido-lineatis, pygidio granulato pallido, longius villoso. Gyllenh.

119) Melolontha Tropica: sub-villosa fusco-picea, clypeo thoracisque lateribus testaceis, fronte transversim carinata, elytris pallide testaceis ruguloso-punctatis, villositate thoracis depressa grisea.

Habitat in Austria, a Dom. *Megerle* hoc nomine missa. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal.*

Magnitudo, statura & summa affinitas *M. Fallénii*, diversa tamen videtur, ut in charactere indicatum. Frons & vertex nigro-picea, parum pilosa, crebre subtilius rugoso-punctata; in medio frontis inter oculos carina elevata transversa, in medio per foveolam oblongam interrupta, & in ipso vertice carinula obsoletior abbreviata; clypeus linea obsoletissima a fronte distinctus, cæterum structura, colore & punctura ut in

M. Fallénii descriptus; oculi & antennæ etiam ut in illo. Thoracis forma, color & punctura ut in præcedenti omnino, sed pilositas longe alia, nempe e pilis brevibus depressis griseo-albidis, ab utroque latere disci in lineam latam arcuatam, inque canalicula dorsi angustam, magis condensatis, constans, absque villis longis erectis, ut in thorace præcedentis. Scutellum breve, latum, sub triangulare, piceo-testaceum punctulatum, basi cinereo-villosum. Elytrorum structura, punctura & costæ ut in priori, sed color pallidius testaceus; in costis duabus mediis cujusvis elytri, linea flexuosa albidior observatur, ut in *M. solstitiali*. Pygidium ut in præcedenti. Pectus fusco-piceum, crebre punctulatum, pilis griseo-albidis depressis parcius adspersum. Pedes ut in præcedenti omnino.]

Femina paullo major, antennarum clava minori ovata, ventre convexo, non canaliculato, elytris saturatius testaceis, tibiisque anticis externe sub-tridentatis, a mare differt.

Obs. *M. solstitialis var. minor*, Oliv. Ent. Tab. 2. f. 11. ut & *M. solstitialis* Latr. Gen. Ins. II. p. 109. 4. forte huc pertinent, nam in *M. solstitiali* genuina Linnæi, frontem transversim carinatam nunquam vidi.

Gyllenh.

120) Melolontha porcata: villosa nigro-brunnea, profunde punctata, elytro singulo costis quatuor glabris, interstitiis totidem griseo-setosis.

Habitat ad Caput bonæ Spei.? Mus. *Schönherr*.

Magnitudo *M. solstitialis*, facies *M. australis*. Caput nigrum, profunde punctatum, pilis longis rigidis griseis adspersum, fronte impressa, vertice valde elevato; clypeus magnus, latus, concavus, antice subtruncatus, vix emarginatus, capiti concolor, similiter pilosus & punctatus; oculi pallide glauci. Antennæ piceæ, clava magna pallidiore. Thorax antice angustior, sub-emarginatus, lateribus & postice rotundato-dilatatus, supra parum convexus, brunneo-niger, crebre & profunde punctatus, villositate longa densa pallida vestitus. Scutellum semi-ovale concolor, punctatum, pilosum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice subtruncata, supra parum convexa, brunneo-nigra, costis in singulo quatuor elevatis glabris nitidis, interstitiis rugoso-punctatis, setis, vel potius squamulis setiformibus rigidis depressis griseo-albidis, lineas totidem la-

tas albidas formantibus, adspersis. Pectus nigrum opacum, crebre punctulatum, lana densa pallida tectum; abdomen nigro-piceum nitidum, obsoletius punctatum, griseo-pilosum, segmentorum marginibus testaceis. Pedes elongati nigro-brunnei, dense pallido-pilosi, tibiis anticis externe tridentatis. SWARTZ.

121) MELOLONTHA PAGANA. *Oliv.*

OBS. Descriptio & figura *M. marginatæ* Herbst Col. III. p. 86. 38. Tab. 24. f. 2. similitudinem summam cum *M. pagana* Oliv. monstrat; diversam tamen dicit Dom. Illiger in Mag. Tom. IV. p. 78. 25. & ad *M. ruficornem* Fabricii refert, quamvis character & descr. Fabricii parum illi concordant; *M. paganam* Oliv. veram, a Dom. Dejean benevole communicatam, certitudinis causa ulterius describere volumus: — *M. æstivæ* minor, præsertim brevior. Caput nigrum nitidum, crebre rugoso-punctatum, vertice villoso; clypeus transversus, antice alte reflexus, parum emarginatus; antennæ ferrugineæ, clava maris magna arcuata. Thorax niger, confertissime subtiliter punctulatus, pilis longis densis pallidis sub-erectis vel parum reclinatis tectus. Scutellum triangulare nigrum, profundius punctatum, pilosum. Elytra convexa, disco pallide testacea nitida, margine laterali anguste, sutura apiceque latius nigro-brunneis; undique crebre & profundius quam thorax punctata, pilis minutis griseis reclinatis adspersa. Pygidium cordatum pallide testaceum, obsolete punctatum. Pectus dense pallido-villosum; abdomen tumidum, flavo testaceum nitidum, parce punctulatum & pilosum. Pedes nigri pilosi, femoribus quatuor posterioribus dilutius ferrugineis.

GYLLENH.

122) MELOLONTHA ATRA Fabr. *M. solstitiali* dimidio minor, angustior, nigra, elytris interdum brunneis. Clypeus truncatus, integer; in medio frontis ruga transversa elevata. Thorax crebre & sat profunde punctatus, pilis longis erectis pallidis minus dense adspersus. Elytra minus crebre rugoso-punctata, vix pilosa, costis solitis elevatis notata, juxta quas rugulæ crebriores, sub-seriatæ, unde apud auctores striata dicuntur elytra. Pectus minus dense pallido-villosum; abdomen brunneum, parum pilosum. Pedes nigri, tarsis obscure ferrugineis. GYLLENH.

123) MELOLONTHA LUSITANICA: villosa castanea, clypeo integro, thorace brevissimo profundius punctato, pilis erectis minus dense villoso, elytris creberrime rugoso-punctatis.

Habitat in Lusitania. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Proxima *M. atræ* Fabr. sed dilutior, thorax multo brevior, elytra crebrius rugoso-punctata, &c.: *M. assimili* Knoch & Herbst ut & *M. pilicolli* Megerle (*M. transversali* Hoffmansegge) & *M. castanea* Herbst colore magnitudine & facie simillima, sed punctura & pilositate thoracis, &c. vere diversa. Caput sub-quadratum convexum castaneum, creberrime & sat profunde rugoso-punctatum, pilis erectis fusco-testaceis adspersum, fronte media ruga transversa inæquali verticeque ipso elevatis; clypeus brevis sub-lunatus, linea bi-arcuata a fronte distinctus, dilutius testaceus, obsoletius punctatus, margine elevato brunneo, in medio paullulum inflexo, minime vero emarginato; oculi nigro-brunnei. Antennæ flavescentes, clava maris magna arcuata. Thorax brevissimus, longitudine plus triplo latior, antice truncatus, angulis rotundatis, lateribus modice rotundato-dilatatus, margine angusto sub-crenulato: basi leviter bi-sinuatus, angulis fere rectis, supra convexus, castaneus sub-nitidus, ad latera plerumque dilutius testaceus, undique crebre & sat profunde punctatus, pilis longis erectis pallescentibus minus dense adspersus. Scutellum triangulare, thoraci concolor, crebre punctatum, basi lana longa flava decumbente tectum. Elytra thorace quintuplo longiora, apice truncata, in dorso minus convexa, rufo-castanea, sub-nitida, sutura limboque saturatius brunneis; undique confertissime rugoso-punctata, costis solitis elevatis notata, pilis paucis minutis erectis, ægre observandis, adspersa. Pygidium breviter cordatum, convexum, castaneum vel testaceum, crebre & sat profunde punctatum, vix pilosum. Pectus lana densa pallide flavescente tectum; abdomen jam saturatius, jam dilutius testaceum, nitidum, subtiliter punctulatum, pilis paucis erectis adspersum. Pedes elongati pallide testacei, fere flavescentes, femoribus pilosis, tibiis punctatis, anticis externe dente apicis longo, arcuato, acuto, medio parvo obtuso, supremo obsoleto.

GYLLENH.

124) MELOLONTHA PILICOLLIS: villosa rufo-castanea, clypeo integerrimo, thorace brevissimo basi

truncato, supra subtilissime punctulato, pilis depressis griseis erectisque helvolis dense villoso.

Habitat in Austria; sub hoc nomine a Dom. *Megerle* missa; eadem ut *M. transversalis Dom. Com. Hoffmansegge* a *Dom. Schneider* communicata. Mus. *Schonherr* & *Gyllenhal*.

Magnitudo & statura *M. lusitanicæ*. Caput cum clypeo sub-quadratum, rufo-castaneum vel ferrugineum, fronte profunde rugoso-punctata, in medio transversim elevato-sub-carinata, vertice dense pallido-piloso; clypeus brevis, obsoletius punctatus, linea arcuata a fronte distinctus, alte reflexus, margine antico sub-truncato, integerrimo. Antennæ pallide testaceæ, clava maris longa arcuata, feminæ brevis ovata. Thorax brevissimus, longitudine triplo latior, basi apiceque fere recta truncatus, lateribus valde rotundato-dilatatus, margine angusto sub-crenato; supra convexus, rufo-castaneus, versus latera dilutius testaceus, undique confertissime subtiliter punctulatus, linea media longitudinali sub-lævi; pilis crebris griseis depressis brevioribus, aliisque sub-erectis longioribus helvolis immixtis, dense tectus. Scutellum triangulare, thoraci concolor, basi punctatum & longius pilosum, apice lævissimum. Elytra thorace quintuplo longiora, apice truncata, supra convexa. dilutius castanea, sub-nitida; crebre & profundius punctata, interne sub-rugosa, pilis longiusculis depressis griseis adspersa. Pygidium breviter cordatum, convexum, pallide testaceum, obsolete punctatum, pilis minutis depressis adspersum. Pectus castaneum, crebre punctulatum, villositate longa pallida tectum; abdomen pallidius testaceum, versus latera crebre punctulatum, pilisque brevibus depressis adspersum. Pedes pallide testacei, pilosi & punctati, tibiis anticis externe bidentatis.

GYLLENH.

125) MELOLONTHA CASTANEA: Herbst.

Magnitudo, statura & color *M. lusitanicæ* & *pilicollis*; distincta tamen videtur: clypeus transversus, antice obtusus, margine alte elevato, in medio sub-emarginato, cum capite sat crebre & profunde punctatus. Thorax postice bi-sinuatus, supra valde convexus, saturate castaneus, confertissime subtiliter punctulatus, pilis brevibus depressis griseis tectus, nullis vero longis erectis, exceptis ciliis marginalibus, paucisque in medio baseos sparsis. Scutellum crebre punctulatum, etiam apice:

Elytra confertissime subtiliter punctulato-sub-rugosa, pilisque adeo minutis, ut vix nisi oculo armato visibilibus, adspersa. Pygidium cordatum, crebre punctulatum. Pectus lana densa pallida vestitum; abdomen rufo-testaceum, versus latera subtiliter punctulatum, parum pilosum. Pedes pallide testacei, tibiis anticis externe sub-tridentatis.

GYLLENH.

126) MELOLONTHA SEMI-RUFA: villosa rufo-testacea, elytris, abdomine pedibusque pallidioribus, clypeo emarginato, thorace subtilissime punctulato, pilis brevibus depressis vestito.

Habitat in Gallia; a Dom. *Dejean* ut *M. rufescens* *Latreillii*, auctori benevole missa.

Magnitudo & fere statura *M. atræ*, præcedentibus valde similis & affinis. Caput sub-quadratum rufo-testaceum, fronte convexa, confertissime rugoso-punctata, parum pilosa; clypeus brevissimus, fronti concolor, obsoletius punctatus, linea bi-arcuata a fronte distinctus, margine alte elevato fusco, evidenter emarginato. Antennæ flavescentes, clava maris magna arcuata. Thorax brevis, antice late emarginatus, lateribus rotundato-dilatatus, crenulatus, basi bisinuatus, ante scutellum fere in angulum productus, supra convexus, saturate rufo-testaceus, omnium subtilissime & confertissime punctulatus, punctis æqualibus; pube tenui depressa griseo-albida tectus, ciliis marginalibus tantum, pilisque paucis in medio baseos majoribus erectis pallidis. Scutellum sub-triangulare pallidius testaceum, parcius & profundius punctatum, basi villositate longa densa depressa flavescente tectum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice truncata, supra modice convexa, pallide testacea, nitida, margine laterali anguste, sutura apiceque latius rufo-brunneis; undique confertissime & multo profundius quam thorax punctata, pilis minimis depressis, ægre conspicuis, sat crebre adspersa. Pygidium cordatum pallidum, obsoletius subtiliter punctulatum, pilositate brevissima erecta adspersum. Pectus dense pallido-villosum; abdomen pallide testaceum sub-nitidum, subtilissime obsolete punctulatum, parum pilosum. Pedes pallide testacei pilosi, tibiis anticis externe acute tridentatis.

OBS. Dom. Latreille in Gen. Crust. & Ins. II. p. 310 dicit: „*Melol.* nostra *rufescens*, eadem ac *M. æqui-*

noctialis Dom. Herbst" — quod nullo modo jam descriptæ convenit, quare vix *M. rufescens* vera Latr.

GYLLENH.

127) MELOLONTHA ASSIMILIS: Herbst. Knoch. Color saturate rufo-testaceus, etiam in elytris. Caput sub-quadratum, convexum, crebre rugoso-punctatum; in medio frontis ruga transversa sub-carinata, & alia minor in vertice; clypeus rotundatus, in medio leviter emarginatus. Thorax brevis, basi bi-sinuatus, supra convexus, rufo-testaceus, ad latera pallidior, confertissime subtilissime punctulatus, immixtis punctis paullo majoribus sparsis; pilis parvis depressis griseis tectus, aliisque majoribus erectis ochraceis, etiam crebris, villosus; pili minores depressi e punctulis minutis, erecti vero e majoribus ex-surgunt. Scutellum concolor, crebre & profunde punctatum. Elytra saturate rufo-testacea, parum nitida, confertissime subtiliter transversim rugulosa & punctata, pilis griseis sub-longioribus reclinatis, non vero arcte depressis, sat crebre adspersa. Pygidium cordatum pallide testaceum, obsoletius punctatum, subtiliter pilosum. Pectus lana densa pallida tectum. Abdomen fusco-testaceum sub-nitidum, subtiliter punctulatum, parum pilosum. Pedes pallide testacei pilosi, tibiis anticis tridentatis.

GYLLENH.

128) MELOLONTHA APRILINA: Duftschm. *M. assimili* proxima, quoad formam capitis & clypei, structuram, puncturam & villositatem thoracis, &c., sed minor, præsertim brevior & colore pallidior. Caput subquadratum testaceum, crebre rugoso-punctatum, parum pilosum, fronte media verticeque transversim obsolete carinatis; clypeus brevis concolor, antice alte reflexus, leviter emarginatus, nigro-cinctus. Antennæ flavescentes, clava maris magna, elongata, feminæ brevi ovata. Thorax ut in *M. assimili* descriptus omnino, punctura & villositate duplici, hæc tamen pallidiore, flavescente. Elytra pallide testacea, limbo sub-brunneo, crebre subtiliter punctata, vix rugulosa, pilis depressis griseis adspersa. Pectus dense flavescenti-villosum: abdomen pallide ochraceum nitidum, subtiliter punctulatum, parce pilosum. Pedes pallide ochracei, pilosi & punctati, tibiis anticis externe tridentatis.

OBS. Sub nomine: *M. flavescens* Dahl, e Carniolia, a Dom. Megerle missa.

GYLLENH.

129) MELOLONTHA CHLOROTICA: pallide testacea, supra glabra, capite rufo brunneo, fronte carinata, clypeo emarginato, thorace profunde punctato, postice truncato.

Habitat in Nova Hollandia. Mus. *Schönherr.*

Statura præcedentium, sed parva, *M. brunnea* æqualis. Caput cum clypeo rufo-brunneum, opacum, crebre & profunde punctatum, fronte in medio carina transversa elevata sub-rugosa notato; clypeus brevis, latus, striga profunde impressa a fronte distinctus, antice elevatus, evidenter emarginatus. Antennæ pallide testaceæ, clava ovata tri-phylla. Thorax brevis transversus, antice parum emarginatus, lateribus valde rotundato-dilatatus, obsolete crenulatus, basi recta truncatus, supra valde convexus, pallide rufo-testaceus, glaber, nitidus, crebre & profunde punctatus, linea media longitudinali lævi rufo-brunnea. Scutellum breviter triangulare castaneum, punctis paucis impressum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice sub-truncata, supra modice convexa, pallide testacea nitida glabra, sutura limboque anguste rufo-brunneis; sat crebre, evidenter punctata, punctis hinc inde seriatis. Pygidium sub-rotundatum, valde convexum, pallide testaceum, obsolete punctatum. Pectus pallide testaceum, subtiliter crebre punctulatum, villositate albida minus longa & densa obductum; abdomen pallide testaceum nitidum, obsolete & parce punctulatum. Pedes elongati testacei pilosi, unguulis falcatis æqualibus, basi subtus dente obtuso armatis.

GYLLENH.

130) MELOLONTHA MUTATA: oblongo-ovata nigro-picea, sub-metallico micans, pedibus ferrugineis, clypeo leviter emarginato subtiliter punctulato, elytris sub-sulcatis, interstitiis elevato-carinatis.

M. brunnea, var. nigra. Illig. Mag. II. p. 220. 8?

M. nigricans. Dom. Dejean, in litteris.

VAR. β. Corpore rufo-ferrugineo, capite obscuriore.

Habitat in Lusitania. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal.*

M. variabili vix brevior, sed multo angustior, statura *M. brunneæ*, qua tamen dimidio minor & vere diversa, clypeo subtilius & confertius punctulato, elytrorum interstitiis sub-carinatis, &c. Caput cum clypeo nigro-piceum, confertim subtiliter punctulatum, clypeo satis late sed parum profunde emarginato, marginibus

elevato, angulis rotundatis; antennæ & palpi pallidi. Thorax brevis transversus, antice late emarginatus, lateribus parum rotundatus, basi sub-sinuatus, supra convexus, fere pulvinatus, nigro-piceus, versus solis radios metallico-micans, undique confertim subtiliter punctulatus, in medio posteriori longitudinaliter obsolete carinatus. Scutellum oblongo-triangulare concolor, intra latera punctulatum, plaga media oblongo-triangulari elevatiore lævi. Elytra thorace quintuplo longiora, apice truncata, supra convexa, nigro-picea, versus solem chalybæo- & metallico-micantia, sat profunde sulcata, sulcis latis, confertim vage punctatis, interstitiis angustis elevato-subcarinatis fere lævibus. Pygidium lato-triangulare rufo-piceum, confertim punctulatum. Corpus subtus rufo-piceum nitidum, confertim punctulatum, glabrum. Pedes longiusculi rufo-ferruginei, femoribus punctulatis & nonnihil helvolo-pilosis, posticis compressis; tibiis anticis externe acute bidentatis, reliquis spinulosis.

VAR. β. Colore dilutiere tantum differt.

GYLLENH.

131) MELOLONTHA VESPERTINA: oblongo-ovata glabra rufo-testacea nitida, clypeo reflexo integro transversim elevato, elytris sulcatis, sulcis vage punctulatis.

M. vespertina Knoch, secundum D. Schneider.

Habitat in America boreali, Dom. *Hooker*. Mus. *Schönherr*.

Statura oblongo-ovata omnino *M. brunneæ*, sed dimidio minor, magis nitida, & in multis diversa. Caput rufo-ferrugineum nitidum, fronte parcius, clypeo confertissime punctulatis; clypeus concolor, antice alte reflexo-elevatus, integer imus, in medio disci transversim elevato sub-carinatus; antennæ pallide testaceæ. Thorax brevis transversus, antice bi-emarginatus, angulis acutis, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, rufo-testaceus nitidus glaber, sat crebre punctatus. Scutellum oblongo-triangulare concolor, similiter punctatum. Elytra thorace quintuplo longiora, posterius nonnihil latiora, apice truncata, supra convexa, paullo dilutius rufo-testacea nitida, sat profunde sulcata, sulcis latis confertim vage punctatis, interstitiis angustis sub-carinatis; margo lateralis pilis helvolis ciliatus, Pygidium lato-triangulare

convexum rufo-testaceum nitidum, obsoletius punctulatum. Corpus subtus rufo-testaceum nitidum glabrum, sat crebre punctulatum. Pedes longiusculi rufo-testacei, femoribus (punctulatis, anterioribus sub-pilosis, posticis compressis; tibiæ spinulosæ, anticæ externæ acute bidentatæ. GYLLENH.

132) MELOLONTHA SETIFERA: ovata, supra fusco-picea opaca, subtus ferruginea, undique pilis rigidis erectis distantibus adspersa, clypeo truncato integro, elytris obsolete sulcatis.

VAR. *β*. paullo minor, tota pallide testacea.

Habitat in India Orientali. Dom. Kymell. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Statura *M. variabilis*, sed paullo major. Caput nigro-piceum opacum, vix punctulatum; clypeus dilutius rufo-piceus sub-nitidus, evidenter punctulatus, antrorsum angustior, apice truncatus, marginibus undique elevatus, linea retrorsum arcuata a fronte distinctus; setæ vel pili rigidi, fere spiniformes, erecti, ferruginei, in fronte & thoracis superficiæ frequentiores, in disco elytrorum vero rariores, sparsæ cernuntur, valde tamen fragiles, unde facile deteruntur. Antennæ pallide testaceæ. Thorax brevis transversus, antice late emarginatus, angulis acutis, lateribus modice rotundatus, basi sub-bisinuatus, supra convexus, fusco-piceus opacus, vix punctulatus, setis frequentioribus ut dictum adspersus. Scutellum oblongo-triangulare acutum, thoraci concolor, vix punctulatum. Elytra thorace vix quintuplo longiora, apice sub-truncata, supra modice convexa, fusco-picea opaca, obsolete sulcata, sulcis obsoletissime vage punctulatis. Pygidium lato-triangulare ferrugineum, obsolete punctulatum. Pectus ferrugineum glabrum, confertim punctulatum; abdomen concolor, obsoletius & subtilius punctulatum, segmento singulo serie transversa e pilis longis erectis rigidis ferrugineis ornato. Pedes elongati ferruginei, tarsis obscurioribus; femora postica lata, valde compressa; tibiæ posticæ etiam latæ, valde spinulosæ, spinis marginalibus sæpe duplicatis.

VAR. *β*, paullo minor, tota pallide testacea, cæterum simillima.

OBS. *Melol. picea* Fabr., qualem in collectionibus nostris possidemus, jam descriptæ quidem similis & affinis, sed in pagina superiore pili vel setæ vix ullæ, in

abdomine per-breves, tenues, annulatim dispositæ; puncta in sulcis elytrorum obsoletissima, cinerascentia; corpus supra opacum, aut fusco-piceum, aut dilutius ferrugineum, &c. — An ideo genuina? GYLLENH.

133) MELOLONTHA DICHROA: ovata glabra castanea, supra virescenti-metallico micans, subtilissime punctulata, clypeo lato truncato, abdomine seriatim piloso.

VAR. β. dimidio minor, supra dilutius rufo-castanea, parum metallico-micans.

Habitat in Sierra Leona Africæ; Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

M. variabili plus duplo minor, brevius ovata. Frons virescenti-cupreo micans nitida, subtiliter punctulata, vertice sub-lævi; clypeus sub-quadratus rubro-cupreus, antice truncatus, angulis rotundatis, confertim & profundius punctatus, undique reflexo-marginatus. Antennæ pallide testaceæ, clava elongata. Thorax anterius paullo angustior, late emarginatus, angulis acutis, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, saturate castaneus, virescenti-metallico micans, undique confertissime subtiliter punctulatus, subtus dilutius rufo-testaceus. Scutellum oblongo-triangulare castaneum, subtiliter punctulatum. Elytra thorace quadruplo longiora & ultra, posterius angustata, apice truncata, supra convexa, saturate castanea, parum virescenti-micantia, anguste & tenue striata, obsoletissime subtiliter punctulata. Pygidium lato-triangulare testaceum nitidum, subtilissime punctulatum. Pectus ferrugineum nitidum glabrum, confertim & profundius punctatum; abdomen dilutius testaceum, subtilius & obsoletius punctulatum, serie unica transversa e pilis brevibus concoloribus in singuli segmenti medio ornatum. Pedes ferruginei sub-pilosi, femoribus tibiisque posticis latis compressis.

VAR. β, dimidio minor, supra dilutius rufo-castanea nitida, in capite & thorace virescenti-cupreo micans, cæterum omni puncto simillima.

GYLLENH.

134) MELOLONTHA MURINA: oblongo-ovata rufo-picea, squamulis piliformibus cinereo-albidis variegata, clypeo sub-retuso, elytris lineis interruptis nigro-virentibus denudatis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr.*

Statura oblongior, fere *M. variabilis*, sed dimidio minor. Caput parvum nigro-virescens opacum sub-læve, macula cinereo-albida supra singulum oculum e squamulis parvis depressis piliformibus: clypeus magnus sub-quadratus rufo-piceus nitidus, virescenti-micans, confertim punctatus, antice sub-retusus. Antennæ pallide testaceæ, clava oblonga tri-phylla. Thorax brevis transversus, antice angustior, late & profunde emarginatus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, angulis rectis; supra in medio elevatior, fusco piceus, virescenti-micans, versus latera magis depressus, dilutius rufo-ferrugineus, undique squamulis piliformibus depressis cinereo-albidis inæqualiter adspersus, fere impunctatus. Scutellum oblongo-triangulare acutum fusco-piceum, dense squamulosum. Elytra thorace quintuplo longiora & ultra, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, rufo-picea, opaca, vix striata vel punctulata, squamulis piliformibus depressis cinereo-albidis inæqualiter adspersa, relictis lineis oblongis seriatis nigro-virescentibus denudatis. Pygidium sub-triangulare rufo-piceum, vix punctulatum, squamulis cinereo-albidis adspersum. Pectus & abdomen dilute rufo-picea, obsolete punctulata, parce squamulosa. Pedes dilute rufo-testacei, femoribus tibiisque posticis latis compressis. GYLLENH.

135) MELOLONTHA VERSICOLOR. Fabr. Oliv.

VAR. β. Supra nigro-picea, æneo, violaceo cinereoque pro vario situ resplendens, thoracis lateribus corporeque rufo-ferrugineis.

VAR. γ. Tota, etiam supra rufo-ferruginea, capite æneo-vario, thorace maculis quinque obsoletis elytrorumque margine laterali fuscis.

Habitant in Sierra Leona Africæ, Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr.*

OBS. Ob certionem speciei notiorem, aliqua præferre idoneum censuimus. Forma corporis breviter ovata, convexa; magnitudo & fere facies *Byrrhi pilulæ* mediocris. Clypeus antrorsum valde attenuatus, apice reflexus, truncatus, angulis rectis; supra confertissime subtiliter punctulatus, linea tenui arcuata sub-impressa a fronte distinctus. Thorax antice late & profunde

emarginatus, angulis acutis, basi bi-sinuatus, angulis obtusis sub-rotundatis; supra convexus, obsoletissime subtiliter punctulatus, punctis cinereo-micantibus. Scutellum oblongo-triangulare acutum, obsoletissime punctulatum. Elytra lata, thorace quadruplo longiora, apice sub-truncata, supra convexa, striis regularibus angustis obsolete punctatis exarata, interstitiis latis planis, obsoletissime punctulatis, punctis cinereo-micantibus. Corpus subtus in omni varietate rufo-ferrugineum glabrum, confertim punctulatum. Pedes rufo-ferruginei, plus minusve violaceo- & viridi-micantes, postici valde compressi, dilatati.

In VAR. β, caput nigro-piceum, violaceo- & virescenti-micans. Thorax capiti concolor, lateribus late, inæqualiter ferrugineis. Scutellum piceum. Elytra nigro-picea, pro vario situ violaceo, purpureo-cinereoque pulcherrime resplendentia. Pygidium & corpus totum subtus rufo-ferruginea, pectore purpureo-micante. Pedes corpori concolores, sed saturatius æneo- virescenti- & violaceo-tincti.

In VAR. γ, Caput piceum virescenti-micans, fronte ferrugineo-variegata; thorax rufo-ferrugineus, maculis 5 vel 7 fuscis, virescenti-tinctis, sæpe obsoletis; elytra rufo ferruginea, margine laterali apiceque latius, sutura anguste fusco-virentibus; pedes ferruginei, virescenti-micantes. GYLLENH.

136) MELOLONTHA CARINATA: breviter ovata convexa, supra nigro-picea opaca, cinereo-varians, capite nitido, clypeo angustato, carinato, apice tridentato, elytris vix striatis.

Habitat in Sierra Leona Africæ, Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Statura omnino & similitudo *M. versicoloris*, sed plerumque paullo, imo dimidio minor. Caput & clypeus nigro-picea nitida, confertim punctulata, fronte inter oculos transversim elevata; clypeus a fronte carina elevata transversa distinctus, antrorsum valde angustatus, apice denticulis tribus acutis armatus; in medio disci carinula longitudinalis vel tuberculum oblongum elevatum. Antennæ fusco-ferrugineæ, basi pilosæ. Thorax brevis, anterius angustior, late et sat profunde emarginatus, angulis rotundatis, basi sub-sinuatus, angulis obtusis, supra valde convexus, niger opacus, certo cinereo-renitens, vix visibiliter punctulatus.

Scutellum oblongo-triangulare acutum, thoraci concolor, sub-læve. Elytra magna, thorace quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra valde convexa, nigro-picea opaca, secundum varium situm cinereo, virescenti-aut rufescenti nitentia, obsoletissime & vix visibiliter sub-striata & punctulata. Pygidium sub-triangulare convexum rufo-piceum, confertim punctulatum. Pectus rufo-piceum nitidum glabrum, evidenter, at minus crebre punctulatum; abdomen concolor, minus nitidum, obsoletius & subtilius punctulatum. Pedes rufo-picei sub-pilosi, femoribus, præsertim posticis, latis, compressis, tibiisque ejusdem paris dilatatis spinulosis.

GYLLENH.

137) MELOLONTHA TUBERCULATA: breviter ovata convexa, supra nigro-picea opaca, capite nitido, clypeo angustato tuberculato, apice integerrimo, elytris vix striatis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. Prof. *Afzelius*, Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Statura & summa similitudo *M. carinatæ*, sed duplo minor, clypeus aliter constructus, et color vix cinereo-micans. Caput & clypeus quoad formam, colorem, puncturam, carinam transversam clypeum a fronte distinguentem, ut & tuberculum elevatum in disco clypei, omnino ut in præcedenti descripta, sed apex clypei truncatus integerrimus reflexus, absque rudimento denticulorum; hæc circumstantia etiam unicam essentialem notam distinctivam præbet, nam cætera omnia quoad minimum punctum ut ad *M. carinatam* descripta: an ideo species vere distincta?

OBS. *M. gibba*, Fabr. Oliv. simillima *Melol. tuberculatæ* quoad formam, structuram clypei, etc. sed triplo major: carina transversa frontis angusta, tenuis, parum elevata, et tuberculum centrale clypei in lineam longitudinalem obsoletam extensum: cætera conveniunt.

GYLLENH.

138) MELOLONTHA IMPUTATA: breviter ovata convexa, nigro-picea, supra opaca, viridi-tincta, clypeo attenuato, apice truncato, sub-emarginato.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Statura proxime præcedentium omnino et magnitudo *M. tuberculatæ*. Caput parvum rotundatum, fronte

verticeque elevatis, vix punctulatis, piceis, tinctura densa viridi, æneo-variante, obductis; clypeus piceus sub nitidus, antrorsum angustatus, apice truncatus vel sub-rectus, margine antico vix elevato; basi confertim punctulatus, antice lævis; area posterior punctulata ab anteriore lævi linea transversa granulata distinguitur. Antennæ fusco-ferrugineæ, clava ovata. Thorax antice multo angustior, profunde emarginatus, angulis acutis, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, nigro piceus, obsoletissime punctulatus, tinctura viridi, æneo et cinereo-variante undique obductus. Scutellum oblongo-triangulare acutum, thoraci concolor. Elytra thorace quadruplo longiora, apice singulatim oblique introrsum truncata, supra modice convexa, vix visibiliter striata vel punctulata, saturate nigrovirentia, cinereo-variantia. Pygidium lato-triangulare nigro-piceum sub-nitidum, confertim sed obsolete punctulatum. Pectus nigro-piceum nitidum, evidenter punctatum; abdomen concolor, sub opacum, obsolete punctulatum. Pedes picei, femoribus, præsertim posticis, compressis, virenti-micantibus. GYLLENH.

139) MELOLONTHA ADVENA: thorace elytrisque rufo-ferrugineis nitidis, capite oblongo nigro, clypeo retuso, corpore subtus piceo, cinereo-piloso.

Habitat — — — Mus. *Schönherr.*

Statura & facies *M. ferrugineæ Fabr.* sed dimidio minor & abunde diversa, præsertim quoad structuram capitis & clypei, &c. Caput cum clypeo oblongo-quadrangulum nigrum, parum nitidum, confertissime punctulatum: clypeus antice retusus vel late emarginatus, angulis prominulis, in medio disci linea transversa elevata abbreviata notatus, præter lineam clypeum a fronte distinguentem. Thorax brevis, antice late emarginatus, angulis prominulis acuminatis, lateribus fere angulariter dilatatus, basi obtuse rotundatus, supra modice convexus, rufo-ferrugineus nitidus, confertim & sat profunde punctatus, limbo omni obscuriore, fusco-piceo; margo lateralis utrinque fusco-ciliatus, Scutellum oblongo-triangulare nigro-piceum nitidum læve. Elytra magna, thorace quintuplo longiora, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, rufo-ferruginea nitida, sutura latius, limbo reliquo angustius & obsoletius fusco-piceis: juxta suturam stria unica utrinque e punctis parvis, & in disco lineæ 2 vel 3

sub-elevatæ, punctis seriatis inclusæ, interstitiis punctis majoribus inordinatis adspersis. Pygidium lato-triangulare rufo-ferrugineum nitidum, profunde punctatum. Pectus & abdomen nigro-picea sub-nitida, confertim punctulata, cinereo-pilosa. Pedes elongati picei pilosi, parum compressi.

GYLLENH.

140) MELOLONTHA COLASPIDOIDES: oblonga viridi-ænea nitida, supra rude punctata, subtus cinereo-pilosa, clypeo emarginato, thorace utrinque impresso.

Habitat in Nova Hollandia. Dom. *Hooker*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Facies *Colaspidis* vel *Cryptocephali*, magnitudo & color *Cryptoceph. sericei* minoris. Caput deflexum viridi-æneum nitidum, rude cicatricoso-punctatum, clypeo basi concolore punctato, apice obscure fusco, lævi, late emarginato, angulis rectis; intra apicem carina transversa elevata continua, præter lineam arcuatam, clypeum a fronte distinguentem. Antennæ fusco-piceæ, clava ovata tri-phylla. Thorax longitudine vix duplo latior, antice late emarginatus, angulis prominulis, lateribus fere angulariter dilatatus, basi bi-sinuatus, angulis rectis, supra modice convexus, viridi-æneus nitidus, rude cicatricoso-punctatus, obsolete canaliculatus, & ad medium marginis utrinque fovea magna transversa impressus; tam thorax, quam caput & elytra pilis brevibus depressis rigidis cinereis parcius adspersa. Scutellum triangulare viridi-aureum nitidum, subtilissime punctulatum. Elytra thorace triplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, viridi-ænea, vel aurea nitida, rude punctato-striata, interstitiis confertim transverse rugosis. Pygidium lato-triangulare convexum viridi-æneum, obsolete punctulatum, cinereo-pilosum. Pectus & abdomen viridi-ænea, cœrulescenti-micantia, obsolete punctulata, pilis depressis cinereis densius obducta. Pedes elongati viridi-ænei pubescentes, tarsis violaceis, unguilis validis divaricatis bifidis.

GYLLENH.

141) MELOLONTHA PROBOSCIDEA, Fabr.

Melol. sub hoc nomine in collectionibus frequenter obvia, neque descriptioni perbrevi D. Fabricii, nec perfectiori D. Illigeri in Oliv. ed. Germ. II. p. 83,

not. d, exacte correspondet, quare hanc nostram describere volumus. Parva, *M. pilosula* Illigeri æqualis & similis. Caput rotundatum nigrum, confertim sed obsoletius subtiliter punctulatum, parce pilosum. clypeus concolor, linea transversa elevata a fronte distinctus, anterius paullo angustior, margine antico elevato, truncato, integro. Antennæ fuscæ, clava oblonga. Thorax antice emarginatus, lateribus rotundatus, basi parum sinuatus, supra modice convexus, niger, subtiliter rugoso-punctatus, pilis griseis reclinatis tectus. Scutellum triangulare piceum, obsolete punctulatum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice sub-truncata, supra convexa, ferrugineo-testacea, basi & circum scutellum saturatius fusco-brunnea, undique confertim rugoso-punctulata, obsoletissime striata, pilis cinereis reclinatis adspersa. Pygidium lato-triangulare convexum, rufo-piceum, obsolete punctulatum, pubescens. Pectus & abdomen rufo-picea, confertim punctulata, griseo-pubescentia. Pedes longiusculi validi rufo-ferruginei pilosi, tibiis anticis externe tridentatis, superiore parvo.

GYLLENH.

142) MELOLONTHA SERICANS: oblonga rufo-picea, confertissime subtiliter punctulata, undique cinereo-pubescens, clypeo antice reflexo, medio sub-elevato.

Habitat in Italia; sub nomine *Mel. sericea Bonelli*, a Dom. *Dejean* missa. Mus. *Schönherr*.

Minuta, *M. pilosula* Illigeri fere minor, tenera. Caput rotundatum fusco-piceum punctulatum, fronte plana cinereo-pilosa; clypeus brevis latus concolor glaber, antice alte reflexus, margine in medio paullulum elevatiore; os pallide testaceum, ut & stirps antennarum, sed clava elongata nigro-picea tri-phylla. Thorax non admodum brevis, antice emarginatus, lateribus æqualiter rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, dilute piceus, subtiliter & obsolete punctulatus, pilis parvis depressis cinereo-albidis dense anspersus, aliisque longioribus ad margines ciliatus. Scutellum triangulare fusco-piceum, punctulatum & pilosum. Elytra thorace triplo longiora & ultra, apice sub-truncata, supra modice convexa, rufo-picea, confertissime subtiliter punctulata, dense cinereo-pilosa & ciliata; in disco interiori versus suturam rudimenta striarum observantur, at obsoletissima. Pygidium breve latum rufo-pi-

ceum punctulatum. Pectus & abdomen fusco-picea, confertim punctulata. Pedes elongati validi, dilutius ferruginei, dense pilosi, femoribus posticis validioribus, saturatioribus; tibiæ anticæ externe tridentatæ.

GYLLENH.

143) MELOLONTHA LINEARIS: elongata, depressa, fusco-ænea, cinereo-pubescens, ore, antennis pedibusque anticis testaceis, thorace brevissimo angulato; elytris rugoso-punctatis.

M. linearis Herbst: *M. castanea* Knoch, sec. Schneid.

Habitat in America boreali. Dom. *Schneid.* Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal.*

Parva, linearis, *M. ruricola* dimidio angustior, sed non brevior. Caput latiusculum fuscum, vix sub-æneo micans, obsolete punctatum, pilis parvis depressis cinereis adspersum; clypeus latus concolor, subtilius punctulatus, linea valde arcuata a fronte distinctus, antice truncatus, marginibus elevatis; os testaceum, palpis maxillaribus longis pallidis, articulo ultimo crassiore fusco, apice truncato. Antennæ pallide testaceæ, clava elongata tri-phylla. Thorax brevissimus transversus, antice leviter emarginatus, lateribus fere angulariter valde dilatatus, basi sub-truncatus, angulis prominulis acuminatis; supra parum convexus, fusco-æneus, subtiliter & obsolete punctulatus, pilis minutis depressis cinereis adspersus. Scutellum parvum, thoraci concolor, cinereo-pilosum, vix punctulatum, apice rotundatum. Elytra thoracis basi latiora, humeris elevatis, & illo fere sextuplo longiora, apice singulatim rotundata, supra in dorso depressa, sub-plana, tota fusco-ænea, magis nitida, confertim & profundius quam thorax rugoso-punctata, pilis minutis brevissimis cinereis adspersa. Pygidium sub-triangulare fusco-piceum, densius pubescens, obsolete punctulatum. Pectus & abdomen fusco-picea, subtiliter & obsolete punctulata, longius & densius cinereo-pubescentia. Pedes elongati validi, primi paris pallide testacei, tibiis externe subtridentatis; posteriores quatuor picei, tarsis dilutioribus; Pedes postici reliquis multo longiores & crassiores; unguli omnium pedum elongati, arcuati, apice bifidi.

GYLLENH.

144) MELOLONTHA SCARABÆINA: supra glabra nigra, subtus rufo-picea punctatissima, clypeo rotundato elytrisque subtiliter rugulosis, pygidio pectoreque pubescentibus.

Habitat in India Orientali. Dom. *T. Lund.* Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal.*

Statura et affinitas *M. barbatæ Fabr.* sed duplo minor & abunde distincta. Caput breve nigrum, fere planum, sat crebre et profunde punctatum; clypeus semicircularis, dense transversim rugulosus, margine angusto reflexo; oculi magni globosi nigro-brunnei; os, palpi et antennæ rufo-picea. Thorax brevis, antice bi-sinuato-emarginatus, angulis prominulis acutis, lateribus æqualiter rotundatus, basi parum sinuatus, angulis rotundatis; supra modice convexus, niger nitidus, versus latera confertim, in disco parcius, evidenter punctatus. Scutellum breviter triangulare nigrum, parum punctatum. Elytra thorace plus triplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, nigra, nitida, versus latera et apicem interdum fusco-picea, subtiliter & obsoletius rugoso-punctata, linea una alterave elevatiore obsoleta, vix observanda. Pygidium breve, lato-triangulare, piceum nitidum, crebre punctatum, apice fusco-pilosum. Pectus piceum, confertim punctulatum, pilis griseo-fuscis parcius vestitum; abdomen dilutius rufo-piceum sub-nitidum, confertissime punctulatum, versus latera pilis depressis griseis parce adspersum. Pedes longiusculi validi rufo-picei pilosi; tibiæ anticæ in femina externe obtuse tridentatæ, in masculo acutius bi-dentatæ; unguli parvi, valde arcuati, in femina omnes simplices, in mare exterior primi paris magnus, crassus, inflexus, apice compressus sub-nitidus, omnino ut in eodem sexu *M. barbatæ*, *geminatæ*, *vallidæ*, etc. GYLLENH.

145) MELOLONTHA FEMORALIS. Oliv.

Specimen nostrum descriptioni Dom. Olivierii non exacte correspondet, quare hoc designare volumus.

Statura oblonga et facies *M. atræ* Fabr. sed paullo major, magis nitida, supra omnino glabra. Caput rufo-brunneum, confertim subtiliter punctulatum, linea angusta transversa a clypeo distinctum; clypeus magnus concavus, capiti concolor, profundius rugoso-punctatus, margine alte elevato, obtuse rotundato, integerrimo; oculi glauci. Antennæ ferrugineæ, clava oblonga. Thorax antice profunde emarginatus, angulis sub-acuminatis, lateribus modice rotundato-dilatatus, basi sub-bi-sinuatus, supra convexus, niger nitidus politus, subtilissime, in disco parce, versus latera cre-

brius punctulatus; stigma laterale rufo-brunneum, leviter impressum. Scutellum breve, lato-triangulare nigro-piceum nitidum, parum punctulatum. Elytra thorace triplo longiora, apice sub truncata, supra convexa, nigra nitida, versus latera & apicem piceo-brunnea, undique sat regulariter sed obsoletius punctato striata, interstitiis 3. 5. 4, disci elevationibus. Pygidium breve latum sub-triangulare, nigrum nitidum, crebre punctatum, ano pilis testaceis ciliato. Thorax subtus pallide testaceus, helvolo-pilosus; pectus nigro-piceum, confertim punctulatum, villositate helvola minus densa vestitum; abdomen nigro-piceum nitidum, sat crebre & profunde punctatum, parum pilosum. Pedes validi, primi paris flavo testacei, tibiis externe dentibus duobus validis, nigro-marginatis, armatis; pedes quatuor posteriores piceo-ferruginei, valde spinulosi; unguli omnes simplices, valde elongati, arcuati, exteriore omnium pedum multo majore, plerumque inflexo.

GYLLENH.

146) MELOLONTHA BI-LITURATA: glabra testacea, vertice nigro-brunneo, clypeo angustiore rufo-ferrugineo, thorace maculis duabus magnis fusco-brunneis.

Habitat in Insula Martinique. Dom. *Forsström*. Mus. *Schönherr*.

M. signata aliquantum similis, sed brevior; clypeus angustior, signaturæ thoracis aliter constructæ. &c. Caput breve latum planum, sat crebre punctulatum, fronte antice rufescente, vertice nigro-brunneo: clypeus capite fere longior, antiorsum angustior, obtuse rotundatus, anguste reflexo-marginatus, totus rufo-ferrugineus, confertissime, at obsoletius punctulatus, striga transversa sat profunda a fronte distinctus. Antennæ ferrugineæ, clava elongata pilosa. Thorax antice bi-sinuato-emarginatus, angulis productis acutis. lateribus æqualiter rotundatus, basi truncatus, angulis rotundatis; supra modice convexus, testaceus nitidus, minus crebre subtiliter punctulatus; in medio dorsi maculæ seu plagæ duæ magnæ rotundatæ, antice sub-emarginatæ, fusco-brunneæ. Scutellum triangulare acutum testaceum, fusco-marginatum, punctis paucis impressum. Elytra thorace vix triplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, dilutius testacea, nitida, sutura margineque anguste rufo-brunneis; punctis

majusculis, passim seriatis, undique confertim impressa. Pygidium breve, latum, sub-triangulare, convexum testaceum, subtilissime obsolete punctulatum. Pectus pallide testaceum, glabrum, confertim punctatum; abdomen concolor, parce obsolete punctulatum, pilis rarioribus transversim seriatis adspersum. Pedes elongati pallidi pilosi; tibiæ anticæ externe dentibus duobus validis nigris armatæ; tarsi ejusdem paris articulis primis quatuor brevibus crassis coarctatis, quinto maximo tumido, ungulo exteriore magno crasso inflexo, apice sub-bifido; unguli reliqui tenues arcuati simplices.

GYLLENH.

147) MELOLONTHA BI-NOTATA: nigro-virescens, supra glabra, elytris profunde striato-punctatis testaceis, limbo, sutura maculaquè media nigris.

Habitat — — — Mus. *Gyllenhal*, e Mus. *Schneideri*.

M. Julii paullo minor. Caput obscure viride, fronte fere plana, confertissime subtiliter ruguloso-punctulata, linea transversa a clypeo distincta; clypeus latitudine capitis, piceo-virens opacus, obsoletissime rugulosus, antice obtuse rotundatus, margine reflexo integerrimo; oculi magni glauci. Antennæ totæ ferrugineæ, clava magna elongata. Thorax antice angustior, emarginatus, lateribus rotundato-dilatatus, basi bi-sinuatus, angulis rectis; supra modice convexus, saturate viridis nitidus politus, certo situ purpureo micans, sat crebre subtilissime punctulatus. Scutellum triangulare viride nitens, crebre punctatum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra minus convexa, flavo testacea nitida, sat regulariter & profunde striato-punctata, sutura margineque laterali anguste, limbo apicali late, callo humerali, macula magna inæquali in medio disci cujusvis elytri versus suturam, punctisque fere omnibus striarum, nigris. Pygidium lato-triangulare convexum nigro-virens, confertissime subtiliter rugulosum, pilis cinereis adspersum. Pectus nigro-virescens, confertim punctulatum, dense pallido-hirtum; abdomen nigro-virescens nitidum, sat crebre strigulosum, pilis paucis versus latera adspersum, segmento penultimo angusto saturate luteo nitido lævi. Pedes validi pilosi, femoribus tibiisque nigro-virentibus, tarsis piceis.

GYLLENH.

148) MELOLONTHA 4-PUNCTATA, Oliv.?

OBS. Specimen nostrum, a Dom. *Schneider* sub nomine *M. limbata* missum, ab *M.* *cr: ante* manifeste di-

stinctum, descriptioni *M. 4-punctatæ Oliv.* tamen non exacte convenit, quare hoc accuratius describere volumus.

Magnitudo *M. errantis*, sed in elytris magis depressa, tota saturatius testacea, magis nitida; thorax fortius punctatus, elytra profundius striata, margine laterali nigra, &c. Caput testaceum, æneo-micans, confertim subtiliter punctulatum, vertice punctis duobus fuscis obsoletioribus; clypeus testaceus, antice rotundatus, margine reflexo integerrimo. Antennæ testaceæ, clava nigro-brunnea. Thorax transversus, antice profunde emarginatus, lateribus æqualiter rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, rufo-testaceus nitidus, sat crebre & profunde punctatus; versus medium marginis antici utrinque litura nigra arcuata, & stigma laterale ordinarium puncto fusco notatum. Scutellum breve, lato-triangulare, thoraci concolor & similiter punctatum. Elytra thorace vix quadruplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, dilutius testacea nitida, sat regulariter & profunde punctato-striata, margine toto laterali ad apicem usque anguste nigro. Pectus ad latera testaceum punctulatum, parce pilosum, medio nigrum glabrum: abdomen testaceum nitidum, parum strigulosum & pilosum. Pedes validi rufo-testacei, tarsis saturatius brunneis; tibiæ anticæ externæ bidentatæ; ungulus exterior pedum quatuor anteriorum apice profunde bifidus.

GYLLENH.

149) MELOLONTHA PALLEOLA: flavescenti-pallida aurichalceo-micans, undique glabra, thorace punctatissimo, elytris striato-punctatis, interstitiis punctulatis.

Habitat in India Orientali. Dom. *Gröndal & Kymell.* Mus. *Schönherr & Gyllenhal.*

M. Horticola paullo angustior, sed non brevior. Caput pallide flavum, orichalceo-micans, confertissime subtiliter punctulatum, linea recta transversa a clypeo distinctum; clypeus similiter punctulatus, flavo-testaceus opacus, antice obtuse rotundatus integer, anguste reflexo-marginatus; oculi mediocres brunnei. Antennæ ferrugineæ, clava oblongo-ovata. Thorax brevis, antice emarginatus, angulis acutis, lateribus æqualiter rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, æqualis, pallide flavescens, aurichalceo-micans, nitidus, undique

confertissime subtiliter punctulatus. Scutellum breve, lato-triangulare, thoraci concolor & similiter punctulatum. Elytra thorace fere quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, pallida, minus aurichalceo micantia, regulariter sed parum profunde punctato-striata, interstitiis crebre, sed obsoletius punctulatis. Pygidium breve, lato-triangulare pallidum, crebre sed obsoletius subtiliter rugulosum, ano pilis nonnullis ciliato. Pectus & abdomen pallida, aurichalceo-micantia, omnino glabra, confertissime obsolete punctulata. Pedes mediocres pallidi, femoribus parum pilosis, tarsis saturatius ferrugineis.

GYLLENH.

150) MELOLONTHA BRUNNIPENNIS: supra glabra, capite thoraceque punctulatis ferrugineis, viridi-micantibus, elytris brunneis profunde striato-punctatis, corpore pallido.

Habitat in America. Dom. *T. Lund.* Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal.*

Longitudo *M. errantis*, sed paullo angustior, magis convexa. Caput saturate ferrugineum seu brunneum, viridi-micans, confertissime subtiliter punctulatum, linea recta transversa a clypeo distinctum; clypeus concolor, similiter punctulatus, antice obtuse rotundatus, margine reflexo integerrimo; oculi magni glauci. Antennæ ferrugineæ, clava elongata. Thorax brevis, antice emarginatus, angulis prominulis acutis, lateribus dilatatus, basi bi-sinuatus, angulis sub-rectis; supra convexus, in dorso brunneus nitidus, viridi micans, versus latera dilutius testaceus, undique crebre sed parum profunde punctulatus. Scutellum fere semi-ovale brunneum, viridi-micans, confertim punctulatum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, saturate brunnea sub-nitida glabra, in basi interiori linea elevata abbreviata pallidius testacea notata; sat regulariter profunde striata & in striis confertim rude punctata. Pygidium breve, lato-triangulare, pallide testaceum, confertim sed obsolete rugulosum. Pectus pallide testaceum, confertissime punctulatum, villositate pallida minus densa obductum; abdomen pallide testaceum sub-nitidum, confertim sed obsolete punctatum, parce pilosum. Pedes validi sub-pilosi, femoribus pallidis, tibiis testaceis, anticis externe acute bidentatis, tarsis saturatius brunneis.

Obs. *M. innubæ* Fabr. Oliv. Illig. aliquantum similis, sed plus duplo major, thorax subtilius punctulatus, pectus pallidum, &c.

GYLLENH.

151) MELOLONTHA INNUBA Fabr. var. *Melol varians* Fabr.

Specimen possidemus, descriptioni *M. varianti* Cl. Fabricii exacte congruum, quod a varietatibus *M. innubæ*, quas enumerat Illiger in ed. Oliv. II. p. 63, n. 59, differre videtur: magnitudine dimidio majore, præsertim statura multo longiore; vertice thoracisque disco læte viridibus, subtiliter punctulatis; pectore pallide testaceo, suturis tantum fuscescentibus; pedibus pallidis, tarsis ferrugineis; num vero propria species, ex specimine solitario vix certe concludendum.

GYLLENH.

152) MELOLONTHA DALMANNI: breviter ovata, undique glabra, fronte, thoracis disco scutelloque viridi-æneis, elytris profunde striato-punctatis testaceis, limbo nigro-violaceo.

Habitat in India orientali. Dom. *Gröndal* & *Kymell*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

M. innuba multo brevior, sed non angustior, valde nitida. Caput cum clypeo rotundatum, fronte viridi-ænea confertissime rugulosa, vertice leviore, parce punctulato, magis nitido; clypeus purpurascenti-brunneus, subtiliter confertim rugulosus, antice obtuse rotundatus, margine parum reflexo; oculi brunnei. Antennæ pallide testaceæ, clava ovata nigricante. Thorax antice angustior, sat profunde emarginatus, angulis acutis, lateribus rotundato-dilatatus, basi vix sinuatus, sed subarcuatus, supra valde convexus, fere pulvinatus, disco viridi-æneus, orichalceo-micans, nitidissimus, lateribus late inæqualiter pallide testaceis, undique sat crebre evidenter punctatus. Scutellum breve, lato-triangulare, thoraci concolor, parce punctatum. Elytra thorace vix triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, regulariter & profunde striato-punctata, disco pallide testacea nitida, basi & regione scutelli late, margine laterali inæqualiter, in medio latius, suturaque anguste nigris, parum virenti, (interdum violaceo-) micantibus. Pygidium breve, lato triangulare, convexum, crebre & profunde punctatum, ferrugi-

neum, viridi-aurichalceo-micans. Pectus viridi-æneum vel cupreum glabrum, crebre punctatum. Abdomen testaceum, confertissime punctatum, glabrum, undique æneo- vel viridi-aurichalceo-micans, nitidum. Pedes validi femoribus testaceis, aurichalceo-micantibus, tibiis viridi-æneis, tarsis brunneis, violaceo-micantibus.

GYLLENH.

Nob. Dom. JOH. WILH. DALMAN, Medicinæ Doctor, rei Entomologicæ cultor eximius, Synonymiam hanc picturis & plurimis descriptionibus ditavit, quare ut æstimationis & amicitiæ sincerrimæ indicium, nomen ejus præ-dilectum conservare voluit

AUCTOR.

153) MELOLONTHA SPLENDENS: supra glabra viridi-orichalcea nitidissima, thorace elytrorumque dorso subtiliter parce punctulatis, clypeo reflexo integerrimo.

Habitat — — — Mus. *Schönherr*, donum Dom. *Dalmanni*.

Statura & summa affinitas *M. auratæ*, sed dimidio major magisque splendida, lævior & clypeo integro distincta. Caput cum clypeo sub-quadratum viridi-orichalceum nitidum, fronte plana, subtiliter parce punctulata; clypeus brevis transversus concolor, confertius punctatus, linea transversa recta a fronte distinctus, antice fere truncatus, angulis rotundatis, margine reflexo integerrimo; oculi magni atro-violacei. Antennæ ferrugineæ, clava elongata. Thorax brevis, antice profunde emarginatus, angulis acutis, lateribus rotundatus, basi sub-bisinuatus, undique elevato-marginatus; supra convexus, viridi-orichalceus nitidissimus, subtiliter & minus crebre, in disco saltem, punctulatus; in medio anguste canaliculatus, & versus marginem utrinque foveola ordinaria sat profunda impressus. Scutellum breve sub-triangulare, thoraci concolor, subtiliter parce punctulatum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice sub-truncata, supra convexa, viridi-aurichalcea splendidissima, sutura marginibusque concoloribus; juxta suturam series unica & in medio 4 vel 5 obsoletiores, abbreviatæ e punctulis minutis impressis, quales etiam in interstitiis sparsæ; versus latera rugulæ transversales irregulares, immixtis punctulis rarioribus. Pygidium lato-triangulare convexum, viridi-aurichalceum nitidum glabrum, obsolete punctatum. Pectus viride sub-opacum, subtilissime confertim coriaceum,

pilis cinereis parum densis adspersum; abdomen saturatius viride nitidum, parum punctatum, segmentis basi sub-violaceis. Pedes validi saturate virides, parum punctati & pilosi, tibiis anticis externe bidentatis.

GYLLENH.

154) MELOLONTHA ANTIQUA: glabra, obscure virescenti-ænea, clypeo integro nigricante, thorace subtilissime punctulato, elytris obsolete seriato-punctatis.

Habitat in India orientali, Macao, Dom. *Osbeck.* Mus. *Schönherr.*

Longitudo *M. auratæ*, sed angustior, convexior, magis cylindrica. Caput obscure æneum, vertice nitidiore, fronte plana, confertissime punctulata; clypeus fere niger, similiter punctulatus, antice reflexus, rotundatus, integerrimus; oculi magni castanei. Antennæ ferrugineæ, clava oblonga. Thorax antice emarginatus, lateribus æqualiter rotundato-dilatatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis obtusis, supra convexus, virescenti-æneus vel cupreus, reliquo corpore nitidior, subtilissime punctulatus, foveola laterali ordinaria parva, sed profunde impressa. Scutellum triangulare viridiæneum nitidum, subtilissime punctulatum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice singulatim rotundata, supra valde convexa, saturatius viridia, parum æneomicantia, in disco interiori subtilissime & obsolete, versus latera evidentius seriato-punctata. Pygidium breve latum sub-triangulare convexum, saturate viride, subtiliter rugulosum, juxta marginem lateralem utrinque fovea oblonga impressum. Pectus obscure viride, crebre punctulatum, parum dense pallido-villosum; abdomen viride nitidum, versus latera parce strigulosum, pilisque paucis adspersum; segmentum penultimum angustum testaceum. Pedes validi, femoribus viridibus fusco-ciliatis, tibiis tarsisque spinulosis, obscure violaceis.

GYLLENH.

155) MELOLONTHA OLIVACEA: glabra, supra viridis, thoracis lateribus pallidis, elytris regulariter seriato-punctatis, testaceo-micantibus, corpore subtus femoribusque pallide testaceis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. Prof. *Afzelius.* Mus. *Schönherr.*

Statura sub-cylindrica *M. antiquæ*, sed triplo minor; *M. Julii* minori æqualis. Caput viride fronte sub-pla-

na, obsolete subtiliter punctulata, vertice læviori magis nitido; clypeus latitudine capitis, viridis, confertissime subtiliter rugulosus, antice obtuse rotundatus, margine alte reflexo purpurascente integerrimo; oculi magni glauci. Antennæ ferrugineæ, clava elongata recta. Thorax brevis, antice bi-emarginatus, angulis acutis, lateribus rotundatus, parum marginatus basi leviter bi-sinuatus, angulis obtusis; supra convexus, saturate viridis nitidus, sat crebre subtiliter punctatus, lateribus late pallide testaceis. Scutellum latum, obtuse triangulare, viride, punctulatum. Elytra thorace plus quam quadruplo longiora, apice singulatim rotundata, supra valde convexa, dorso saturate viridia, limbo secundum varium situm testaceo-micante, undique regulariter sed parum profunde punctato-striata. Pygidium breve, lato-triangulare, convexum, viride, crebre strigulosum, lateribus testaceum. Pectus pallide testaceum sub nitidum, subtiliter strigulosum & punctatum, parum pubescens; abdomen saturatius testaceum, in medio virescenti-micans, nitidum, parce punctatum. Pedes breviusculi validi, femoribus pallide testaceis, posterioribus latis, subtus lamina compressa auctis: tibiæ & tarsi saturate rufo-castanei, viridi- & purpureo-micantes, valde spinosi & rugulosi.

GYLLENH.

156) MELOLONTHA SEMI-VIRENS: supra glabra, confertissime punctulata, capite thoraceque viridibus, elytris rufo-castaneis sutura viridi, pectore lanato femoribusque testaceis.

Habitat — — — Mus. *Gyllenhal.*

Longitudo *M. Frischii* majoris, sed angustior, magis convexa & abunde distincta. Caput fere planum, viride, antice cupreo-micans, undique confertissime subtiliter punctulatum, linea transversa recta a clypeo distinctum; clypeus magnus, latitudine capitis, purpureo-aureus, confertissime punctulatus, elevato-marginatus, antice integerrimus, sub-truncatus, angulis rotundatis. Antennæ longiusculæ testaceæ, clava pilosa. Thorax antice sub-emarginatus, lateribus modice rotundato-dilatatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis rotundatis, supra valde convexus, æqualis, saturate viridis sub-nitidus, versus latera antica parum testaceo-micans, undique confertissime subtiliter punctulatus, foveola laterali ordinaria profunde impressa. Scutellum breve lato-

triangulare viride punctulatum. Elytra thorace vix quadruplo longiora, apice singulatim obtuse rotundata, supra valde convexa, saturate rufo-castanea, parum nitida, sutura elevatiore virescente; undique confertissime vage punctulata & rugulosa, lineis elevatis vix observandis. Pygidium breve latum sub-triangulare convexum, obscure rufo-castaneum opacum, subtilissime coriaceo-rugulosum, pilis longis sub-erectis pallidis adspersum. Pectus pallide testaceum, creberrime punctatum, lana densa cinereo-albida tectum; abdomen piceum nitidum, segmentorum marginibus penultimoque toto rufo-ferrugineis; confertim punctulatum, pilis longioribus cinereis parce adspersum. Pedes validi, femoribus latis compressis rufo-testaceis, virescenti-micantibus, pilosis, tibiis cupreo-virentibus, anticis externe bidentatis. GYLLENH.

157) MELOLONTHA CICATRICOSA: supra glabra, subtus dense pallido-villosa, thorace viridi profunde cicatricoso, elytris piceo-castaneis rude striato-punctatis, tarsis longissimis.

Habitat in Nova Hollandia. Dom. *Hooker*. Mus. *Schönherr*.

M. aurata paullo minor, brevior, minus convexa. Caput sub-qvadratum piceo-castaneum, confertissime & sat profunde rugoso-punctatum, ruga transversa elevata a clypeo distinctum; clypeus latitudine capitis eique concolor, similiter rugosus, sed brevis, segmenti-formis, antice exacte rotundatus, margine reflexo; oculi majusculi glauci; mandibulæ exsertæ, compressæ, externe valde arcuatæ. Antennæ ferrugineæ, clava magna pilosa. Thorax antice angustior, profunde emarginatus, lateribus angulariter dilatatus, basi bi-sinuatus, obtuse angulatus, supra modice convexus, saturate viridis subnitidus, foveolis cicatrici formibus confertissimis impressus et rugosus. Scutellum triangulare piceo-castaneum sub-læve, basi lana densa depressa flavescente vestitum, qualis etiam ad humeros elytrorum e pectore fasciculatim assurgit. Elytra thorace vix quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra parum convexa, piceo-castanea nitida glabra, profunde inæqualiter striata et in striis rude punctata, interstitiis etiam rugosis. Pygidium breve, lato triangulare rufo-castaneum, crebre punctatum, pilositate longa densa reclinata grisea obductum. Pectus piceo-testaceum punctatum,

villositate longa densa flavescente omnino tectum; abdomen rufo-castaneum nitidum, sat crebre punctatum, pilis longiusculis griseo-flavescentibus reclinatis dense adspersum. Pedes validi, femoribus rufo-ferrugineis dense flavescenti-villosis, tibiis brunneis virescenti-micantibus, anticis præsertim valde elongatis, ungulis longis inæqualibus, exterioribus apice sub-bifidis.

GYLLENH.

158) MELOLONTHA VARICOLOR: glabra, pallide testacea, capite nigro-brunneo, thorace subtilissime punctulato, elytris regulariter profunde punctato-striatis.

— α. Thorace elytrisque pallide testaceis immaculatis.

M. unicolor. * Oliv. Ent. I. 5. p. 26. 25. Tab. 9. f. 108. * ed. Sturm. II. p. 16. 25. T. 60. f. 1. * ed. Illig. II. p. 47. 25.

VAR. β. Thorace nigro lateribus late pallido, elytris testaceis, sutura, margine striaque humerali nigris.

VAR. γ. Thoracis disco nigro, lateribus late, margine antico posticoque anguste testaceis, elytris ut in var. β.

VAR. δ. Thorace ut in var γ, elytris totis nigris, stria abbreviata pallida in medio baseos excepta.

Habitat in India Orientali. Dom. Doct. *Gröndal* & *Kymell*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Proxima *M. dorsali Fabr.* sed minor, præsertim brevior, elytra profundius striata, clypeus magis rotundatus, &c. Caput sub-quadratum nigro-brunneum nitidum, confertim subtiliter punctulatum, linea transversa fere recta a clypeo distinctum; clypeus brevis, capitis latitudine, plerumque dilutius brunneus, similiter ruguloso-punctulatus, antice obtuse rotundatus, margine parum elevato, reflexo; oculi magni glauci. Antennæ testaceæ, clava oblongo-ovata. Thorax antice sat profunde bi-emarginatus, angulis prominulis acutis, lateribus æqualiter rotundatus, basi leviter bisinuatus, angulis obtusis, supra valde convexus, pallide testaceus nitidus politus, in disco anteriore interdum saturatius rufo-castaneus, undique subtilissime punctulatus, stigmate laterali sat profunde impresso. Scutellum breve latum semi-ovale pallidum, parce punctulatum. Elytra thorace vix quadruplo longiora, apice

sub-truncata, supra modice convexa, rufo-testacea nitida, regulariter et sat profunde punctato-striata, striis in singulo circiter 12, interstitiis plerisque lævibus. Pygidium latum sub-triangulare pallide testaceum, nitidum, obsoletius punctatum, apice pilosum. Pectus fusco-testaceum confertim punctatum, longius sed parum dense griseo-villosum; abdomen tumidum, pallide testaceum nitidum, medio glabrum, versus latera obsolete punctulatum pilisque paucis adspersum. Pedes validi testacei pilosi, femoribus posticis latis compressis, tibiis ejusdem paris crassis spinulosis nigro-brunneis, tarsisque omnibus ejusdem coloris; tibiæ anticæ externe bidentatæ.

Var. β, differt: thorace nigro, lateribus late inæqualiter testaceis, lobo vel macula nigredini disci contigua super stigma laterale; interdum linea testacea in medio marginis antici, et litura obsoleta in medio baseos; elytrorum sutura, antice latius, limbus exterior apicisque et stria inæqualis ab angulo humerali introrsum obliqua, attenuata, nigra; cætera ut in α.

Var. γ, simillima var. β, quoad colorem elytrorum, sed nigredo thoracis discum tantum occupat, formans plagam postice transversam, antice profunde emarginatam, nullibi margines attingentem, nec ad stigmatem lateralem extensam.

Var. δ, quoad thoracem ut var. γ, omnino, sed elytra tota nigra, linea tantum brevi testacea in medio baseos singuli elytri. Tibiæ posticæ in varietatibus β, γ & δ, basi rufo-testaceæ.

Obs. *Melol. dispar*, Herbst Col. III. p. 65. 12. T. 23. f. 1. forte hujus speciei varietas, intermedia inter α & β, nobis non visa; *Melol. pallida* Fabr. S. Eleuth. II. p. 168. 46. Herbst Col. III. p. 61. 9. T. 22. f. 10. verosimiliter etiam huc spectant, sed descriptiones nimis incompletæ certitudinem nullam præbent.

Gyllenh.

159) Melolontha nigrifrons, Steven. Descriptioni Cl. Dom. Steven, l. c. addendum:

Statura et summa affinitas *M. obscuræ* Fabr. sed duplo, imo sæpe triplo major, et plerumque tota, capite excepto, pallide testacea; scutellum in medio obsolete punctulatum, versus latera læve, in *M. obscura* vero undique sat profunde punctatum; cæterum quod ad formam partium, pilositatem, e pilis brevissimis ris

gidis depressis griseis constantem, structuram pedum, &c. *M. obscuræ* simillima.

Var. β. Major, thoracis disco elytrisque rufo-castaneis.

Melol. Sabæa Boeber, secund. Schneider.

Majoribus præcedentis speciminibus æqualis, &c, colore excepto, omni puncto conveniens quare distingui non meretur.

Var. γ. Minor, densius pilosa, thorace fusco lateribus testaceo, elytris corporeque testaceis.

Gyllenh.

160) Melolontha militaris: sub-depressa nigra, supra rufo brunneo, subtus flavescenti-squamosa, elytris pedibusque rufo-ferrugineis, clypeo emarginato.

Var. β. Thorace elytrisque squamis griseo-flavescentibus tectis.

Habitat — — —. E Musæo *Schneideri* sub hoc nomine, & var. β, ut *Hoplia curialis* missa. Mus. *Gyllenhal*.

Statura & similitudo *M. rupicolæ* Fabr., sed fere duplo major, clypeus sub-emarginatus & color longe alius; facies præterea omnino *Hopliæ*, & *H. squamosa* magnitudine æqualis, sed unguli bini etiam in pedibus posticis. Caput cum clypeo oblongo-quadratum nigrum, fere planum, confertissime evidenter punctatum, pilis erectis helvolis adspersum & ciliatum; clypeus concolor, linea arcuata obsoleta a fronte distinctus, antico late sed parum profunde emarginatus. Antennæ breves fusco-ferrugineæ, basi pilosæ, clava ovata triphylla. Thorax longitudine dimidio latior, antice emarginatus, lateribus rotundato dilatatus, postice bi-sinuatus, angulis obtusis; supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, sed squamulis parvis rufo-brunneis omnino tectus, et præterea pilis longioribus erectis helvolis adspersus & ciliatus. Scutellum triangulare piceum, squamulis ochraceis tectum. Elytra thorace vix triplo longiora, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, abdomine multo breviora, supra sub-depressa, rufo-testacea, subtilissime & obsolete punctulata, squamulis minutis rufo-brunneis omnino tecta, pilis paucis helvolis ciliata. Pygidium sub-triangulare, apice rotundatum, & margo segmenti dorsalis pone elytra, squamulis parvis orbiculatis flavis, aurantiaco-tinctis, omnino

tecta. Pectus nigrum, subtiliter obsolete punctulatum, flavescenti-pilosum, lamina posteriore squamulosa; abdomen convexum piceum, subtilissime strigulosum, dense flavescenti-squamosum. Pedes valide rufo-ferruginei pilosi, tibiis anticis piceis, externe acute bidentatis.

Var. β, differt tantum colore squamularum, in thorace & elytris griseo-flavescentibus, parum ochraceo-tinctis; cæterum similima.

Gyllenh.

161) Melolontha ferrugata: sub-depressa nigra, supra ochraceo-, subtus flavescenti-squamosa, clypeo antice producto sub-sinuato.

Habitat ad Caput bonæ Spei. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*

Statura omnino *M. rupicolæ*, sed paullo minor, color alius & clypeus aliter constructus. Caput cum clypeo oblongo-quadratum nigrum, confertim punctatum. fronte pilis erectis helvolis adspersa; clypeus concolor, linea sub recta obsoleta a fronte distinctus, antice alte elevatus, margine sub repando, in medio acumen parvum emittente. Antennæ breves nigræ basi pilosæ. Thoracis structura omnino ut ad *M. militarem* descripta. supra parum convexus, niger, subtiliter granulato-punctatus, squamulis minutis ochraceo-ferrugineis omnino tectus, pilisque longis erectis helvolis adspersus & ciliatus. Scutellum triangulare ochraceo-squamosum. Elytra thorace vix triplo longiora, posterius angustata, apice singulatim obtuse rotundata, abdomine multo breviora, supra sub depressa, nigra, subtiliter obsolete punctulata, squamulis minutis ochraceo-ferrugineis tecta, pilisque longis reclinatis helvolis adspersa & ciliata. Pygidium semi-ovatum convexum nigrum, obsolete punctulatum, ut & margo segmenti ultimi dorsalis, squamulis flavescenti-ochraceis tectum. Pectus nigrum, pilis densis flavescentibus tectum; abdomen nigro-piceum, obsolete strigulosum, squamulis flavescentibus tectum. Pedes validi nigri, helvolo-pilosi, ut in *M. militari* constructi.

Gyllenh.

162) Melolontha dentipes Fabr. Oliv.

— α. Elytris testaceis, femorum posticorum spina baseos longa, acuta; tibiæ ejusdem paris spinis duabus validis, arcuatis armatæ.

VAR. β. Omnino ut α, sed dimidio minor, & pedes ferruginei aut rufo-picei.

VAR. γ. Magnitudo media inter α & β; elytra externe obscure ferruginea, basi & ad suturam, præsertim anteriorem, nigra; pedes nigri, spinis posticorum ut in α & β.

VAR. δ. Elytra tota nigra; pedes nigri, spinis posticorum ut in prioribus; variat magnitudine, aut α æqualis, aut β fere minor.

VAR. ε. Dimidio minor quam var. β; elytra testacea; pedes nigro-picei; spina baseos femorum posticorum brevis, recta; spina antica tibiarum ejusdem paris parva, obsoleta.

OBS. In omni varietate clypeus dentibus quatuor parvis armatus; elytra in illæsis individuis linea una alterave e squamulis albidis ornata; podex valde retusus, inflexus, squamulis luteis vel pallidis tectus; unguli omnium pedum bini, subæquales, apici bifidi.

GYLLENH.

BUPRESTIS.

163) BUPRESTIS VARIABILIS: viridi-ænea, thorace nigro-æneo margine castaneo; elytris castaneis nigro-maculatis, apice sanguineis.

Habitat in Nova Hollandia. Mus. *Schönherr*.

Statura et magnitudo fere *B. cariosæ*. Caput fusco-æneum, crebre punctatum, obsolete canaliculatum. Antennæ thorace breviores, obtuse serratæ, æneæ. Thorax transversus, antice angustior, lateribus rotundatis, margine incrassato; undique crebre punctulatus, stria media obsoleta; æneo-niger, toto margine laterali castaneo. Scutellum minutum, cordato-subrotundum, æneo-nigrum. Elytra thorace latiora, in medio laterali subemarginata, postice attenuata; striato-punctata, striis profundis, interstitiis nonnullis præsertim ad humera irregulariter punctatis; saturate castanea nitida, postice ad apicem bidentatum usque sanguinea; maculis 4 nigris notata; quarum duæ suturales, superiore (infra scutellum) subcordata, inferiore (apicem versus) lata transversali; duæ laterales, seu una minor infra humeralis, altera medio lata transversalis undata, fasciam interruptam simul mentientes. Margo anterior elytrorum & sutura maculis concolor. Subtus pedibusque æneo-viridis nitens, punctulata; margine abdominis anoque pallide castaneo. — Tab. 6. fig. 6.

Var. β. Priori simillima, præter colorem thoracis nitidiorem, & corporis inferne in aureum vergentem. Maculæ etrytrorum præterea desunt, exceptæ unica infra scutellum suturalis oblonga, & altera minuta utrinque (pone medium) lateralis. Swartz.

Obs. Specimina hujus Insecti pulcherrimi titulo *B. variabilis* Donovan Ins. Nov. Holl. insignita, generositati Clar. *Hookeri* Auctor hujus Operis debuit.

164) Buprestis stigmatica: punctatissima; subtus rubro-cuprea, supra aequalis, nigra, cupreo-atomaria; elytris punctis quatuor pallidis impressis.

Hab. in Persia D. *Olivier*, a D. *Paykull* communicata. Mus. *Schönherr*.

Statura & magnitudo fere *B. Marianae*, punctis elytrorum ut in *B. chrysostigmate* positis; rugulosa quidem, sed æqua, nec costata nec foveolata. Caput rubro-cupreum, punctato-rugosum, frons canaliculata. Thorax anterius angustatus, lateribus parum rotundatus, angulis posticis sub-acutis, supra vix convexus, punctato-rugosus, niger, parum nitidus, punctis rugulisque e fundo cupreis, nitidis; de cetero æqualis, tantum sulculo valde obsoleto ante scutellum impressus. Scutellum parvum punctiforme. Elytra basi thorace per-parum latiora, humeris rotundatis, posterius angustata, apice sub-acuta, margine apicali tenuissime crenulato; supra parum convexa, nigra, paullo nitida, sub-coriacea, punctis minutis cupreis nitidulis crebre adspersa; præterea in singulo elytro puncta duo majora pallida impressa; alterum paullo ante, alterum pone medium. Corpus subtus rubro-cupreum, nitidum, crebre punctulatum, pedibus concoloribus. Dalm.

165) Buprestis angularis: elongata, subtus viridi-aurea nitidissima, supra æneo-viridis, thorace elytris latiore profunde unisulcato, angulis anticis viridi-aureis; elytris quadrisulcatis.

Habitat in Brasilia. Mus. *Schönh.* a D. *Billberg* communicata.

Longitudo *B. Marianæ*, sed multo angustior. Caput viridi-cæruleum nitidum, punctatum, vertice rubro-aureo; frons profunde canaliculata. Antennæ breves, viridi-æneæ, obtuse-serratæ. Oculi magni in vertice approximati. Thorax anterius angustior, ibique truncatus, lateribus parum rotundatus, marginatus,

postice utrinque sinuatus, viridi-æneus, nitidus, crebre punctatus, antice arcu semicirculari rubro-aureo nitido ornatus, relictis ipsis angulis deflexis cum margine laterali viride-cæruleis, nitidis; dorsum sulco longitudinali valde profundo exaratum, & utrinque foveola minus determinata impressum. Scutellum parvum transversum obtusum, rubro-aureum. Elytra basi thorace angustiora, elongata, humeris angulatis, versus apicem sensim angustata, margine anterius viridi, nitidissimo, posterius serrato; apex crenatus, cum acumine parvo suturali; supra convexa, æneo-virescentia nitida, basi punctata & transversim rugulosa, ipso apice rubro-cupreo nitidissimo; præter suturam in singulo elytro costæ longitudinales quatuor lævigatæ, quarum tertia a sutura longe ante apicem desinit, reliquæ ad apicem usque productæ, interstitiis punctis rugulisque exscabratis. Corpus subtus valde convexum, viridi-aureum nitidissimum, punctulatum, pedibus tarsisque concoloribus. Anus in nostro specimine emarginatus.

Obs. Sub nomine: "*Bupr. stricta* Linn." in Museo D. *Schönherr* asservatur *Buprestis* huic jam descriptæ simillima, ut ægre dijudicandum anne eadem species aut ne. Statura eadem angustata, sed multo minor, longitudine *B. austriacæ*. Differt præterea a præcedente: colore obscuriore; thorace postice truncato, sulco minus profundo nec apicem thoracis attingente, & angulis anticis haud ut in præcedente splendide coloratis. Scutellum forma aliena, scilicet sub-quadratum, minime transversum. Elytra quoque angustiora, præsertim postice longe magis angustata, interstitiis lævioribus. punctis paucioribus, obsoletioribus. In reliquis omnino simillima, anus in ambobus emarginatus, ut anne præcedentis alter sexus, vel varietas, vel species revera distincta, dijudicare nequeo. Descriptioni immort. Linnæi in Mus. Lud. Ulr. quidem haud facile quadrat, cum hujus habitus vix bene cum *B. marianæ* comparandus, & tibiæ vix ac ne vix angulatæ, thoracis vero linea impressa satis perspicua. Nihilo minus tamen eadem forte, cum sulci & serratura elytrorum, ut & color quadrent, cum desint thoracis foveolæ utrinque tales ut in *B. ignita* Linn. (*B. ventricosa* & *smaragdula* h. Op.) a qua præcipue distinguere voluit Cl. Linne, ut l. c. perspiciendum. Tibiæ quoque re vera haud teretes, sed nonnihil compressæ & subangulatæ.

Dalm.

166) Buprestis fulminata: viridi-ænea punctulata, thorace foveolato; elytris nigro-violaceis, sutura fasciisque undulatis pallide aureis.

Habitat in Brasilia. Mus. *Schönh.* Hoc nomine a Dom. *Megerle* missa.

Magnitudo & statura fere *B. chrysostigmatis*, postice tamen magis angustatus. Caput æneum l. olivaceo-virescens, nitidum, crebre & rude punctatum, tuberculo inter oculos bifido; linea longitudinali, lineolaque utrinque, impressis. Oculi magni obliqui, in vertice valde approximati. Antennæ virescentes, articulo primo magno arcuato, secundo brevi, tertio iterum elongato obconico, sequentes coarctati, obtuse serrati. Thorax olivaceo-virescens, nitidus, brevissimus transversus, antice nonnihil angustior truncatus; postice tri-lobus, angulis acuminatis deflexis; supra convexus, in medio punctulatus, ad latera rugulis striisque transversis gyrosis exaratus, pone medium foveolis tribus magnis, media cordata, impressus. Scutellum minutum triangulare, acutissimum, virescens, glaberrimum. Elytra thorace multo latiora, humeris oblique rotundatis, apicem versus attenuata, margine tenue crenulato, apice acuta; supra parum convexa, obscure nigro-violacea, signaturis variis pallide-aureis ornata. scilicet: litura humeralis trifida, punctum utrinque infra scutellum, & fasciæ duæ flexuosæ valde dentatæ, quarum prima in humero incipiens ad medium elytrorum oblique descendit, ibique suturæ confluit; altera a medio marginis lateralis oblique intus serpens, apicali suturaque conjungitur. Præter suturam in singulo elytro lineæ longitudinales elevatæ quatuor, basi apiceque evanescentes, interstitiis crebre punctulatis. Corpus subtus æneo-virescens, nitidissimum, subtiliter punctulatum, ano cæruleo, in nostro truncato integro. Pedes abdomine concolores, mutici, tarsis violaceis.

Dalm.

167) Buprestis sapphirina: subdepressa, viridis nitida punctulata, thorace postice obtuse tri-lobo; abdomine cyaneo, maculis ad latera 4 canis utrinque.

Habitat in India orientali. D. *Osbeck.* Museum *Schönherr.*

Magnitudo & statura *B. tardæ.* Caput retractum, viride, clypeo rotundato subemarginato punctulato,

fronte depressa, cyanea gyroso-lineata; vertice viridi convexo cruce leviter sulcato punctulato. Oculi aurei. Antennæ thorace breviores, obtuse serratæ, subhirtellæ nigro-cyaneæ. Thorax brevis transversus, subæqualis, convexus, viridi-cyaneus, transverse crebre punctato-rugulosus; postice obtuse tri-lobus, duobus angularibus, tertio latiori medio. Scutellum cordatum, minutum, cyaneum. Elytra thorace parum latiora, ovata, angulo humerali rotundato, basi, medio, obtuse-angulata, viridia nitida punctulata, lateribus rugulosis, impressionibus s. foveolis binis basilaribus, aliisque hinc inde minus conspicuis. Lineæ duæ elevatæ, interior longitudine suturæ, exterior (in medio elytrorum) abbreviata. Margo, infra medium, serrulatus, apex obtusus. Pectus viride. Abdomen violaceum, nitidum vix punctulatum, macula parva, cano-hirta ad latus segmentorum 4 ultimorum utrinque. Anus bidentatus. Femora cyanea, tibiæ violaceo-rubræ, tarsis nigricantibus.

SVARTZ.

168) BUPRESTIS BI-MACULATA. Linn. Fabr.

VAR. β. Dimidio minor, elytris immaculatis.

Habitat in India Orientali. D. *Osbeck*. Museum *Schönherr*.

OBS. Varietas hæcce, eum genuina specie omni puncto conveniens, modo dimidio minor, & elytra absque macula rubra, ut in diagnosi dictum, quare distingui non jure meretur; elytra in utraque varietate apice obtuse rotundata, evidenter, etsi subtiliter crenulata vel serrata, ut rite attulit Cl. Olivier, & in descriptione adhuc accuratiore Dom. Herbst loc. cit. etsi Cl. a Linné & Fabricius illas ut integras descripserunt.

GYLLENH.

169) BUPRESTIS 8-SIGNATA: lineari-elongata, supra saturate viridis nitida, elytris apice olivaceis, singulo maculis quatuor sub-impressis cinereo-pilosis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

B. biguttatæ similis, sed dimidio minor, in elytris brevior & aliter colorata. Caput majusculum retusum, saturate viride nitidum punctatum, vertice fronteque sat profunde canaliculatis; os cærulescenti-viride; oculi magni oblongi glauci; antennæ breves cæruleo-

virescentes. Thorax transversus, antice emarginatus, angulis porrectis acutis, caput ambientibus; lateribus parum arcuatus, basi bis profunde emarginatus, lobo medio latiore sub-truncato; supra valde inæqualis, foveis nempe duabus mediis profundis, una pone alteram, aliaque elongata obliqua utrinque impressus; totus saturate viridis nitidus punctulatus. Scutellum breve transversum olivaceum. Elytra thorace quintuplo longiora & ultra, apicem versus angustata, supra inæqualia, saturate viridia nitida, confertim striguloso-punctata, apice late cærulescenti-olivacea; in medio baseos singuli elytri fovea profundior impressa, cum puncto cinereo-piloso in medio; ante medium versus suturam altera, minus profunda, pone medium tertia sub-didyma & intra apicem quarta obsoletior. Dorsum abdominis cæruleo-violaceum nitidum, punctatum. Thorax subtus & pectus olivaceo-virescentia, cinereo-pubescentia; abdomen concolor nitidum glabrum, subtiliter punctulatum. Pedes breviusculi cæruleo-virescentes, femoribus subtus serrato-denticulatis.

GYLLENH.

170) BUPRESTIS PUNCTULATA: fusco-cuprea, confertissime punctulata, thorace lineis quatuor elevatis nigricantibus, elytris punctato-striatis æqualibus.

Habitat in Georgia Americæ septentrionalis. *D. Hooker*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo, statura & affinitas *B. moestæ Fabr.* sed elytra æqualia, absque lineis elevatis interruptis, magisque regulariter punctato-striata. Caput rugoso-punctatum cupreum, fronte linea transversa arcuata inter oculos; oculi oblongi glauci. Antennæ thorace breviores cupreæ, obtuse serratæ. Thorax transversus, antice emarginatus, lateribus ante medium dilatato-rotundatus, immarginatus, angulis omnibus prominulis acutis; supra parum convexus, totus cupreus, confertissime rugoso-punctatus, lineis quatuor longitudinalibus nigricantibus erosis insignitus, mediis latioribus, lateralibus angustis abbreviatis. Scutellum parvum subcordatum fusco-æneum. Elytra antice thorace paullo latiora & illo fere quadruplo longiora, apicem versus valde attenuata, apice ipso rotundata, supra modice convexa, fusco-cuprea, sat regulariter, præsertim interne, striato-punctata, punctis oblongis remotis, interstitiis confertissime punctulatis, omnino absque lineis e-

levatis, quæ in speciebus affinibus *B. acuminata* & *moesta* Fabr. cernuntur. Corpus subtus pallidius cupreo-æneum, magis nitidum, minus crebre sed fortius punctatum. Pedes longiusculi cuprei, crebre punctati, tibiis sub-ciliatis, tarsis obscurioribus.

SWARTZ.

171) BUPRESTIS EXASPERATA: fusco-ænea, griseo-hirta; thorace tuberculato, elytris lituris punctisque echinatis atris.

Habitat in India Orientali seu ad Promont. bonæ Spei. Mus. *Thunberg.* & *Schönherr.*

Magnitudo fere *B. novem-maculatæ.* Caput fusco-æneum, tuberculis quatuor: duo in fronte hemisphærica lineolis in gyrum tortis impressa; duo in vertice echinato aspera. Oculi testacei. Antennæ argute serratæ, æneo-nigræ. Thorax convexus, antice contractus, lateribus & basi rotundatus, postice latior, obtuse-angulatus, undique tuberculis (circiter 14) gyroso-lineatis punctulatisque fusco-cupreis obsitus. Scutellum minutum triangulare, fuscum. Elytra integra, infra humeros angulatos ad medium usque, parum contractiora; fusco-ænea, cano-pubescentia, crebre punctulata scaberrima e lituris & punctis irregularibus echinatis, atris. Corpus cylindricum, fusco-æneum, nigro-chalybeo-maculatum, pube rara grisea adspersum. Pedes fusco-ænei.

SWARTZ.

172) BUPRESTIS FILUM: lineari-elongata angustissima nigro-ænea glabra, confertim punctata, capite sub-globoso canaliculato, thorace cylindrico.

Habitat in Austria, sub nomine: *B. Filum Koy* missa. Mus. *Schönherr.* & *Gyllenhal.*

Minuta, valde angusta, filiformi-cylindrica, postice tantum angustata, tota glabra. Caput magnum subglobosum nigro-æneum, crebre punctatum, a vertice ad os usque canaliculatum: os valde inflexum, obscurum; oculi ovati brunnei, parum prominuli. Antennæ breves, tenues, nigro-æneæ, nodosæ vel obtuse serratæ. Thorax latitudine fere longior, cylindricus, basi apiceque leviter bisinuatus, supra convexus æqualis, nigro-æneus, confertim & sat profunde punctatus. Scutellum parvum transverse sub-ovatum, elevatum, thoraci concolor. Elytra latitudine thoracis & illo sextuplo longiora, linearia, versus apicem angustiora, apice

ipso, singulatim rotundata, dehiscentia, integerrima, supra modice convexa, obscurius nigro-ænea, confertim & sat profunde punctata, punctis juxta suturam anteriorem sub-seriatis, cæterum vage sparsis. Thorax subtus & pectus nigro-ænea, sat profunde punctata; abdomen viridi-æneum, magis nitidum, fere læve. Pedes breviusculi nigro-ænei, femoribus crassiusculis.

Obs. *B. parvula* Fabricii secundum descriptionem huic similis videtur, sed in nostra elytra non striata, nec color cupreus. Gyllenh.

173) Buprestis lanuginosa: teres, nigra immaculata. longius albido-lanuginosa, thorace vix canaliculato, basi tri-foveolato, elytris striato-punctatis.

Habitat in Hispania. D. *Schneider*. Mus. *Gyllenh*. Magnitudo, statura & summa affinitas *B. discoideæ* & *Tubuli* Fabr. sed tota nigra immaculata, lanugine longa erecta albida, præsertim in capite et thorace, tecta, loco pubescentiæ brevissimæ rigidæ in cæteris affinibus. Caput deflexum nigrum punctatum, lanugine densa elongata erecta molli albida vestitum; oculi magni oblongi glauci. Antennæ breves nigræ, acute serratæ. Thorax transversus, antice profunde emarginatus, angulis acutis, lateribus nonnihil rotundatus, basi truncatus, supra modice convexus, æqualis, totus niger nitidus, confertim punctulatus. pube simili uti caput vestitus; juxta basin foveolæ tres parvæ rotundatæ sub-aquales impressæ, una in medio aliaque versus latera utrinque. Scutellum nullum. Elytra thoracis medio paullo angustiora & illo fere quintuplo longiora, sub-rotundata, supra convexa, nigra, nitida, obsoletius striatim punctata, striis tantum 2 vel 3 suturæ proximis profundius impressis. interstitiis transversim rugosulis: lanugo albida in elytris rarior, in medio laterali tantum magis condensata. Corpus subtus nigrum, sub-æneo-micans, nitidum, fortius punctatum, parum pubescens. Pedes breviusculi nigri.

Gyllenh.

174) Trachys Troglodytes: fusco-ænea nitida glabra, elytris cæruleo-violaceis, thorace punctulato, fronte profunde canaliculata.

Habitat in Austria: sub nomine *Tr. austriaca* missa. Mus. *Schönherr*. & *Gyllenhal*.

Simillima *Tr. pygmææ Fabr.* sed triplo minor, & color capitis thoracisque fusco-æneus, non aureo-cupreus ut in illa; *Tr. pumila* Illig. etiam valde affinis & ma-

gnitudine æqualis, sed illa pilis parvis cinereis adspersa, præsertim in postico elytrorum, & elytra obscure ænea uti reliqvum corpus, nostra vero omnino glabra, & elytra violacea. Caput rotundatum fusco-æneum nitidum, obsolete punctulatum, fronte ad verticem usque profunde canaliculata; oculi oblongi brunnei. Antennæ breves tenues fusco-æneæ, articulis exterioribus tantum sub-serratis. Thorax brevissimus transversus, antice emarginatus, basi valde sinuatus, lobo ante-scutellari producto subacuminato; supra convexus, æqualis, fusco-æneus nitidus, sat crebre subtiliter punctulatus. Scutellum minutissimum punctiforme fusco-æneum. Elytra antice thoracis basi adæquata et illo paullo latiora, posterius valde attenuata, sub-triangularia, supra convexa, cæruleo-violacea nitida glabra, punctis crebris majusculis, parum vero profundis, in disco oblique seriatim digestis, impressa, interstitiis transversim rugosulis. Corpus subtus nigro-æneum nitidum, strigulis obsoletissimis arcuatis inscriptum. Pedes tenues nigro-ænei.

GYLLENH.

OBSERVATIONES IN BUPRESTIS GENUS.

Vastissimi *Buprestis* generis distributio generalis, qua species numerosæ secundum affinitatem, quantum fieri possit, naturalem ordinentur, jam diu in desiderio fuit. Dentes apicales elytrorum notas præbent nimis fallaces & insufficientes. In tentamine hocce, quod rei curantibus & peritis ad dijudicandum modeste offerimus, ad formam scutelli thoracisque diversam præcipue habita est ratio. Non nisi species nobis visas enumerare ausi sumus, optantes ut scientiæ cultores, & speciebus hic deficientibus sua adsignare velint loca, & ulterius, nisi indigna judicetur, perficere dispositionem, cujus non nisi primas lineas proponimus.

BUPRESTIS.

FAMILIA I. Exscutellatæ.

SECTIO I. Thorax lobo medio baseos angulatim producto. Corpus obovato-conicum, utrinque valde convexum, capite deflexo.

SUBDIVISIO 1. Sternum porrectum.

Buprest. orientalis, *sternicornis*, *Chrysis*, *castanea*, *interrupta*.

SUBDIVISIO 2. Sternum muticum. Corpus hirtum sæpe fasciculosum.

B. fascicularis, hirsuta, cirrosa, gnaphalon, pilosa, Lasios, hirta, tomentosa.

SECTIO II. Thorax basi recta truncatus. Corpus (elongatum) convexum, capite sub-deflexo.

B. gibbosa, cylindrica, ornata, tæniata, Tubulus, discoidea, lanuginosa, ruficaudis, adspersula, parvula.

SECTIO III. Thorax postice sinuatus; lobo scutellari rotundato. Corpus elongatum, sub-depressum, capite haud deflexo.

B. ignita, fulminans, vittata, ocellata, mutabilis, imperialis.

FAMILIA II. Scutellatæ.

SECTIO I. Scutellum punctiforme; (minutum suborbiculare).

SUBDIVISIO 1. Corpore supra obscuro, metallico-irrorato l. rorido. (Thorax postice truncatus vel sub-sinuatus. Corpus valde punctatum, elytris apice plus minusve producto l. prominulo).

B. Berolinensis, ænea, americana, acuminata, conspersa, reticulata, moesta, punctulata, lugubris, bicolor, tristis, lurida, obscura.

OBS. Scutellum *B. conspersæ* paullo majus & latius quam in reliquis.

SUBDIVISIO 2. Statura præcedentium, corpore non aut parum metallico-rorido.

B. cariosa, Tenebrionis, tenebricosa.

SUBDIVISIO 3. Species reliquas varias, notis antecedentibus non convenientes amplectens.

B. gigantea, variabilis, ventricosa, attenuata, smaragdula, elegans[1], *punctatissima, fastuosa, Pisana, unicolor, porcata, angularis, stricta, tripunctata, rufipes, flavo-maculata, octo-guttata, decostigma, lineata, Mariana, stigmatica, splendens, rustica, fusca, cuprea, appendiculata, tarda.*

B. 9-maculata. Statura Sectionis 2:æ, Familiæ 1:æ.

SECTIO II. Scutellum angustum, lineari-elongatum.

B. bi-maculata. bi-vittata.

SECTIO III. Scutellum sub-hastatum. (i. e. basi utrinque acuminatum apice acuto longitudine thoracis. — Elytrorum & thoracis bases angulatæ ut in Sectione sequente).

B. scutellaris, Stigma.

SECTIO IV. Scutellum triangulare. Thorax ad basin utrinque sinuatus l. emarginatus, angulos elytrorum baseos medios excipiens.

B. fulminata, impressa, chrysostigma, affinis, femorata, thoracica, serrata, sapphirina; — exasperata (?) capitata, pusilla (?).

SECTIO V. Scutellum cordatum; thoracis & elytrorum bases truncatæ, rectæ.

B. cyanicornis, auricolor, manca, candens, Cichorii; Salicis, Saliceti, nitida, nitidula, Quercicola, umbellatarum, Filum; — quadri-punctata, funerula.

SECTIO VI. Scutellum cordatum; thoracis basis rotundato-sinuata.

B. Equestris.

SECTIO VII. Scutellum majusculum transversum, undique obtusum.

B. austriaca, micans, rutilans.

SECTIO VIII. Scutellum basi transversum, lateribus rotundatis, apice acuminato.

SUBDIVISIO 1. Scutellum simplex, (non duplicatum).

B. geminata, metallica, antiqua, tri-cuspidata, atomaria, undata, Rubi, elata, cærulea, amethystina, ruficollis.

SUBDIVISIO 2. Scutellum veluti duplicatum, l. carina transversa divisum. Lamina anterior transversa obtusa, inferior triangularis acuta. Corpus elongatum lineare.

B. octo-signata, sex-guttata, bi-guttata, graminis, viridis, cærulescens, olivacea, discolor, filiformis, Hyperici.

SUBDIVISIO 3. Scutellum veluti duplicatum, carinulis duabus.

B. spinosa.

SECTIO IX. TRACHYS. Corpus valde breve, sub-trigonum. Thorax transversus postice profunde sinuatus. Scutellum minutum.

Tr. pygmæa, Troglodytes, minuta, nana &c.

Vix genus distinctum; nec *Buprestis* genus in plura dividendum esse putamus.

DALMAN.

175) Elater glabratus: niger, parce testaceo-pilosus, ore, antennis pedibusque ferrugineis, elytrorum dorso vage subtiliter punctulato.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Magnus, *El. fuscipedi*, cui similis, multo latior, statura fere *El speciosi*. Caput parvum porrectum rotundatum nigrum punctatum, pilis parvis depressis flavo-testaceis adspersum, fronte antice impressa; palpi rufo-ferruginei; oculi magni globosi nigro-castanei nitidi. Antennæ longitudine fere thoracis, compressæ, serratæ, ferrugineæ, basi obscurius piceæ. Thorax magnus, latitudine longior, antice angustior, emarginatus, angulis acuminatis, spinis lateralibus baseos validis exsertis: supra convexus, pulvinatus, æqualis, totus niger sub-nitidus, confertim punctatus, pilis parvis depressis flavo-testaceis parce adspersus; in medio baseos ante scutellum carinula elevata transversa abbreviata lævis, & intra marginem lateralem utrinque costa elevata, apicem thoracis non attingens, postice in spinam angularem excurrens omnino ut in *El. fuscipede*, tomentoso, lurido, aliisque. Scutellum sub-quadrangulare nigrum planum, subtiliter punctulatum, densius testaceo-pilosum. Elytra thorace vix plus quam duplo longiora, ante medium dilatata, dein versus apicem valde angustata, apice sub-acuminata, supra convexa, nigra sub nitida, pilis minutis depressis testaceis parce adspersa; medietas interior versus suturam confertissime subtiliter vage punctulata, punctulis minime striatim dispositis, nisi prope ipsum apicem, ibique obsoletissime; externe vero juxta marginem, striæ duæ vel tres evidenter impressæ, punctatæ, & 2 seu 3 intra illas, seriatim punctatæ, valde obsoletæ, interstitiis omnibus confertim punctulatis. Corpus totum subtus nigrum, magis nitidum, confertim punctatum, pectoris lateribus densius, ventre subtilissime testaceo-pilosis, Pedes mediocres testaceo pilosi, femoribus piceis, tibiis tarsisque dilutius ferrugineis.

Gyllenh.

176) Elater pulvereus: latus niger opacus, squamulis flavo cinereis maculatim variegatus, thorace canaliculato, elytris apice sub-bidentatis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. *Afzelius*? Mus. *Schönherr*.

Inter majores, *El. rufo* multo latior, sed vix longior; cæterum *El. fasciato* quodammodo similis. Caput parvum nigrum punctatum in-æquale, antice depressum, squamulis parvis flavo-cinereis variegatum; mandibulæ simplices arcuatæ nigræ, basi pilosæ & squamulosæ; oculi globosi nigro-castanei nitidi. Antennæ thorace breviores compressæ, latere interiore acute serratæ. Thorax latitudine longior, anterius angustior ibique quasi tri-emarginatus, lateribus sinuatus, basi valde retusus, angulis lateralibus validis acutis divaricatis; supra convexus, in medio profunde canaliculatus, canalicula postice ante scutellum desinente, ibique e contra carinula oblonga elevata; totus niger, squamulis depressis atris & flavo-cinereis mixtis variegatus; squamulis detritis, superficies punctata sub-nitida. Scutellum parvum transversum elevatum thoraci concolor. Elytra antice latitudine thoracis & illo vix triplo longiora, apicem versus angustiora, apice ipso emarginata, unde in singulo dentes duæ exstant, exteriore majore; supra convexa, nigra, regulariter sed parum profunde punctato-striata, squamulis depressis flavo-cinereis & atris maculatim variegata. Corpus subtus nigro-piceum punctatum, pilis brevibus rigidis depressis flavo-cinereis fere tectum, ano obtuso, longius nigro-barbato. Pedes breviusculi nigro-picei, dense flavescenti-pilosi.

GYLLENH.

177) ELATER BASALIS: niger, cinereo-pubescens, antennis, pedibus elytrorumque basi interiore ferrugineis, thorace confertim subtiliter punctulato.

Habitat in nova Hollandia. Dom. *Hooker*. Mus. *Schönherr*.

Inter majores *El. Nemnonio Herbst.* parum minor. Caput sub-quadratum nigrum, griseo-pilosum, fere planum, confertim subtiliter punctulatum; oculi magni globosi castanei. Antennæ thorace paullo longiores, setaceæ, simplices, dilute ferrugineæ, pubescentes. Thorax latitudine longior, antice angustior, vix emarginatus, lateribus parum rotundatus, basi retusus, angulis lateralibus validis acuminatis; supra modice convexus, totus niger, posterius canaliculatus, undique confertim sed non profunde punctatus, pube molli depressa grisea, præsertim versus latera adspersus. Scutel-

lum ovatum nigro-piceum, densius pilosum. Elytra latitudine baseos thoracis, & illo triplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, nigra, regulariter punctato-striata, punctis oblongis, interstitiis subtilissime rugosulis vel coriaceis; undique pilis mollibus depressis griseis adspersa; Regio interior baseos juxta scutellum utrinque rufo-ferruginea sub-lævis. Corpus subtus nigrum sub-nitidum, confertim subtiliter punctulatum, griseo-pubescens, ani margine ferrugineo-piloso. Pedes tenues rufo-ferruginei pubescentes.

GYLLENH.

178) ELATER OBSCURIPES: rufo-ferrugineus pubescens, thoracis disco nigro nitido, profunde canaliculato, antennis pedibusque nigro-piceis obscuris.

Habitat in India Orientali. Dom. *Gröndal* & *Kymell*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Magnitudo & fere statura *El. Aterrimi Linn.* Caput sub-quadrangulare, antice rotundatum, supra fere planum, rufo-ferrugineum, crebre punctatum, cinereo-pubescens, margine verticis nigricante; oculi castanei. Antennæ longitudine fere thoracis, compressæ, nigro-piceæ, obscuræ, interne serratæ. Thorax latitudine multo longior, anterius angustior, ibique leviter bis emarginatus, lateribus non rotundatus, basi utrinque retusus, angulis lateralibus divaricatis, acuminatis; supra convexus, pulvinatus, sat crebre punctatus, parce pubescens, secundum totam fere longitudinem sat profunde canaliculatus, niger nitidus, parum æneo-micans, lateribus totis una cum spinis baseos late rufo-ferrugineis. Scutellum ovatum fuscum, pubescens. Elytra latitudine baseos thoracis, & illo triplo longiora, apicem versus angustata, supra modice convexa, rufo-ferruginea sub-nitida, regulariter punctato-striata, tenue pubescentia, interstitiis planis obsolete rugosulis. Corpus totum subtus, uti caput, thorax, pectus & abdomen rufo-ferruginea, parum nitida, confertim subtiliter punctulata, tenue pubescentia. Pedes mediocres fusco-picei opaci, pubescentes.

GYLLENH.

179) ELATER 4-NOTATUS: convexus niger, cinereo-pubescens, antennis pedibusque pallide testaceis, elytris testaceis, sutura punctisque quatuor nigro-fuscis.

Habitat ad Rio Janeiro Brasiliæ. Dom. *Kymell*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Latitudo *El. Cruciati*, sed paullo longior. Caput sub-quadratum nigrum, fere planum, crebre punctatum, cinereo-pubescens, oculis magnis glaucis. Antennæ longitudine thoracis pallide testaceæ, parum dentatæ. Thorax latitudine paullo longior, antice sub-emarginatus, lateribus rotundatus, basi bi-retusus, angulis lateralibus baseos validis acuminatis; supra convexus, pulvinatus, niger, crebre & sat profunde punctatus, cinereo-pubescens. Scutellum ovatum nigrum, densius pubescens. Elytra latitudine baseos thoracis, illoque triplo longiora, supra modice convexa, obscure testacea, pubescentia, profunde striata, & in striis punctis angulatis impressa, ut fere clathrata dici queant, interstitiis planis subtilissime rugosulis; sutura communis inæqualiter nigro-fusca, & in singulo elytro præterea puncta duo ejusdem coloris, unum paullo ante, alterum pone medium disci. Corpus subtus totum nigrum, crebre subtiliter punctulatum, griseo pubescens. Pedes mediocres pallide testacei pubescentes.

GYLLENH.

180) ELATER RUGICOLLIS: filiformi-elongatus pubescens, thorace lineari nigro-fusco inæquali, linea dorsali ferruginea, elytris pallide testaceis, sutura lituraque media fuscis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

El bi-lineato quodammodo similis, sed adhuc longior & angustior, præsertim quoad thoracem. Caput sub-quadratum, antice rotundatum, supra impressum, testaceum, crebre punctatum, pubescens, subtus nigrofuscum; oculi globosi castanei nitidi. Antennæ thorace breviores, filiformes, fusco-testaceæ, obsolete serratæ. Thorax latitudine duplo longior, linearis, angustus, antice parum emarginatus, lateribus rectis, reflexo marginatis, basi bis retusus, angulis lateralibus elongatis, acuminatis; supra convexus, impressionibus variis, plerisque longitudinalibus, foveolatus & inde valde inæqualis, pube brevi grisea, vario situ depressa adspersus, crebre punctatus, nigro-fuscus opacus, margine antico, linea dorsali media longitudinali, lituraque laterali utrinque ferrugineis. Scutellum ovatum fusco-testaceum punctatum pubescens. Elytra latitudine thoracis, illoque triplo longiora, apicem versus attenuata, apice singulatim rotundata, supra modice

convexa, pallide testacea, pubescentia, regulariter punctato striata, striis per paria magis approximatis, interstitiis obsolete rugosulis: sutura communis anguste fusca, & in disco paullo pone medium utrinque litura fusca obsoleta. Corpus subtus crebre punctulatum pubescens, thorace pectoreque totis nigro-fuscis, ventre utrinque testaceo-variegato. Pedes breviusculi tenues testacei pubescentes. GYLLENH.

181) ELATER PARVICEPS; sub-depressus fusco-piceis opacus, subtus dilutior, undique pilis minutis rigidis albidis æqualiter adspersus, thorace lateribus crenulato.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Statura brevis lata & fere magnitudo *El. murini*, sed minus convexus, nec variegatus. Caput parvum retractum rotundatum, fere planum, fusco-piceum opacum, pilis parvis depressis rigidis albidis adspersum; os & palpi rufescentes. Thorax latitudine baseos vix longior, antice paullo angustior, ibique late & profunde emarginatus, lateribus sub-rotundatus, subtiliter & obsolete crenulatus, basi bis emarginatus, angulis lateralibus brevibus sub-acutis; supra in disco antico valde convexus, pulvinatus lateribus & præsertim postice late depressus, totus fusco-piceus, confertim punctatus, pilis similibus uti caput adspersus. Scutellum rotundatum, thoraci concolor, densius pilosum. Elytra latitudine baseos thoracis, & illo triplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, fusco-picea opaca, regulariter punctato-striata, punctis angulatis, interstitiis striarum rugulosis; undique pilis brevibus rigidis depressis albidis æqualiter adspersa. Corpus subtus dilutius rufo-piceum, confertim punctulatum, densius albido pilosum. Pedes breviusculi tenues rufo-testacei, albido-pilosi. GYLLENH.

182) ELATER MUCIDUS: latus, convexus, nigro-piceus, cinereo-lanuginosus, thorace brevissimo vix punctulato, elytris rufo-testaceis, obsolete punctato-striatis

Habitat in America Boreali, a Dom. Prof. *Knoch* nominatus. Mus. *Gyllenhal*. e Mus. *Schneider*.

Statura lata *El. murini*, sed plus duplo major & in elytris longior. Caput parvum rotundatum nigro-

piceum, lanugine densa depressa cinerea tectum, vertice canaliculato; palpi rufo-testacei; oculi ovati brunnei. Antennæ longitudine dimidii corporis, setaceæ, fusco-piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax brevissimus, antice semicirculariter emarginatus, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, angulis lateralibus acutis; supra valde convexus, pulvinatus, in medio evidenter canaliculatus, nigro-piceus, lanugine molli depressa cinerea tectus; lanugine detrita, superficies nitida, subtilissime inæqualiter punctulata. Scutellum rotundatum, thoraci concolor, dense lanuginosum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, & illo quinquplo longiora, apice attenuata, sub-acuminata, supra convexa, rufo-testacea nitida, minus regulariter striata, striis obsolete & subtiliter punctatis, interstitiis convexis, omnium subtilissime punctulatis; lanugo mollis depressa cinerea etiam elytra tegit. sed in disco sæpissime derasa. Corpus subtus rufo-piceum sub-nitidum, cinereo-lanuginosum, subtilissime punctulatum, immixtis punctis paucioribus paullo majoribus. Pedes longiusculi rufo-picei, dense cinereo-pubescentes.

GYLLENH.

183) ELATER CASTANIDENS: fusco-piceus subnitidus, undique profunde confertim punctatus, pilis rigidis depressis cinereo-albidis adspersus, supra inæqualiter seu maculose.

Habitat in India Orientali. Dom. *Kymell.* Mus. *Schönherr & Gyllenhal.*

Magnitudo & statura *El. impressi Fabr. Payk.* Caput subquadratum fusco-piceum, profunde punctatum, pilis rigidis depressis cinereo-albidis adspersum, supra os profunde impressum; mandibulæ concolores, apice bidentatæ; oculi mediocres castanei. Thorax latitudine longior, anterius paullo angustior, ibique profunde semi-circulariter emarginatus, lateribus parum rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis nonnihil productis acuminatis dilutius rufo-castaneis; supra modice convexus, pulvinatus, fusco-piceus, confertim profunde punctatus, æqualis, pilis depressis rigidis cinereo-albidis, versus latera densius congestis, adspersus. Scutellum subdepressum rotundatum thoraci concolor. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et illo vix triplo longiora, apicem versus attenuata, sub-acuminata, supra parum convexa, fusco-picea, sub-

nitida, regulariter & sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, serie unica e punctis minoribus impressis notatis; pilis rigidis depressis cinereo-albidis inæqualiter & quasi nubeculosæ adspersa. Corpus subtus dilutius rufo-piceum, crebre & profunde punctatum, pilis rigidis cinereo-albidis adpressis æqualiter adspersum. Pedes mediocres corpori concolores & similiter pilosi. GYLLENH.

184) ELATER CRASSUS: convexus nigro-piceus, pallido-pubescens thorace parvo canaliculato, elytris magnis rufo-testaceis, confertissime punctulatis.

Habitat in India orientali. Dom. *Silfversvärd*. Mus. *Gyllenhal*.

Statura ab hoc genere diversa, fere *cebrionis*, sed palpi sub-securiformes; longitudo *El. fulvipedis*, sed multo latior, utrinque valde convexus, & elytra ampla, pone medium fere latiora. Caput parvum nigrum, valde inæquale subtiliter punctulatum, pilis longis pallidis fere tectum, mandibulæ magnæ, valde arcuatæ nigræ; os & palpi rufescentes. Antennæ compressæ nigro-piceæ, thorace paullo longiores, profunde serratæ, articulo 2:o parvo nodoso, reliquis triangularibus, introrsum productis. Thorax parvus, latitudine baseos non longior, antice bis emarginatus, lobo medio supra caput elevato, rotundato; lateribus parum dilatatus, basi retusus, angulis lateribus exstantibus arcuatis, acumine parvo hamato armatis; supra valde convexus, nigro-piceus, confertim subtiliter punctulatus, lanugine longa pallida obductus, in medio profunde canaliculatus. Scutellum oblongo-ovatum rufopiceum, vix punctulatum, parce pubescens. Elytra ampla, thorace multo latiora & quintuplo longiora, pone basin & iterum pone medium dilatata, apice rotundata, supra valde convexa, rufo-testacea sub-nitida, pilis brevioribus depressis pallidis parcius adspersa, obsolete sulcata, sulcis confertissime irregulariter punctulatis interstitiis convexis, minus crebre punctulatis. Corpus subtus nigro-piceum sub-nitidum, confertissime subtiliter punctulatum, pilositate longa pallida adspersum. Pedes validi nigro-picei, confertim punctulati, pallido-pilosi. GYLLENH.

185) ELATER FUSCICEPS: rufo-ferrugineus, pallido-pubescens, capite fuscescente, thorace brevi confertim punctulato, antennis longioribus serratis.

Habitat in Rossia meridionali. Dom. *Steven.* Mus. *Schönherr.*

Statura fere *El. ruficaudis*, sed paullo major, thorax brevior, &c. Caput parvum fusco-ferrugineum vel piceum, confertim punctulatum, pilis depressis pallidis adspersum, fronte fere plana, obsolete foveolata, antice obtuse rotundata; oculi castanei. Antennæ thorace paullo longiores compressæ ferrugineæ, fulvo-pubescentes, interne profunde serratæ, articulis 2 & 3 parvis nodosis. Thorax latitudine non longior, antice leviter emarginatus, lateribus rotundatus, angulis baseos acuminatis; supra modice convexus, æqualis rufo-ferrugineus sub-nitidus, confertim subtiliter punctulatus, pilis depressis pallidis dense adspersus. Scutellum ovatum, thoraci concolor, pubescens. Elytra latitudine thoracis & illo quadruplo longiora, apice rotundata, parum angustata, supra modice convexa, rufo-ferruginea sub-nitida, regulariter punctato-striata, punctis parvis oblongis, interstitiis subtilissime punctulatis, pubescentia depressa pallida adspersis. Corpus subtus rufo-ferrugineum magis nitidum, confertim subtiliter punctulatum, pallido-pubescens. Pedes mediocres pubescentes, femoribus testaceis, tibiis tarsisque paullo obscurioribus. GYLLENH.

186) ELATER UNGULI-SERRIS: angustus fusco-piceus, griseo-pubescens, antennis pedibus spinisque thoracis testaceis, elytris rufo-brunneis, ungulis acute serratis.

Habitat in Rossia meridionali. Dom. *Steven.* Mus. *Schönherr.*

Longitudo *El. ruficaudis*, sed fere dimidio angustior, posterius valde attenuatus. Caput parvum, fere planum, fusco-piceum, confertim punctulatum, dense griseo-pubescens, anterius angustatum, apice truncatum; oculi magni castanei. Antennæ thorace paullo longiores, tenues pallide testaceæ, interne obtuse serratæ. Thorax latitudine longior, sub-linearis, antice vix emarginatus, supra modice convexus, nigro-piceus, confertim subtiliter punctulatus, pilis depressis griseis dense adspersus, margine antico transversim angulisque lateralibus acuminatis baseos pallide testaceis. Scutellum cordatum rufo piceum punctulatum, dense pilosum. Elytra antice latitudine thoracis illoque quadruplo longiora, apicem versus valde angustata, apice ipso sub-

acuminata, supra modice convexa, rufo brunnea, dense griseo pilosa, leviter striato-punctata interstitiis confertim subtilissime punctulatis. Corpus subtus fusco-piceum, magis nitidum, subtilissime creberrime punctulatum, griseo-pubescens. Pedes mediocres pallide testacei pubescentes; tarsuum articulus quartus, in omnibus pedibus, subtus lamina elongata integra albida auctus, & unguli omnes interne acute serratæ, denticulis in singulo 3 seu 4 spiniformibus.

GYLLENH.

187) ELATER BICOLOR Fabr.

VAR. β. niger, subtus piceo-rufescens, antennis pedibusque rufis. Illig. Mag. VI. p. 4. 5. var.

VAR. γ. totus rufo-ferrugineus, capite obscuriore.

Habitant in Barbaria, Marocco. Mus. *Schönherr*.

OBS. Dom. Illig. l. c. dudum observavit, notas specificas a Dom. Fabricio ex colore desumtas, nimis vacillantes esse, quod ex adhibita varietate nostra γ, ulterius confirmatur, quare desciptioni addendum: Statura latior, sub-linearis fere *El. hirti* Herbst, & mediocribus ejus speciminibus æqualis. Caput transversum, subtiliter punctulatum, griseo-pubescens, fronte impressa; os et palpi rufescentes. Antennæ longitudine dimidii corporis, compressæ, rufæ, interne profunde serratæ, articulis 2 & 3 parvis nodosis. Thorax latitudine vix longior, antice angustior, parum emarginatus, lateribus rotundatus, angulis baseos acutis; supra modice convexus, æqualis, subtiliter punctatus, griseo-pubescens. Scutellum ovatum sub-læve. Elytra latitudine thoracis, illoque plus triplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, cinereo-pubescentia, concinne punctato-striata, interstitiis subtilissime punctulatis. Alæ albo-hyalinæ. Corpus subtus magis nitidum, confertim punctatum, pubescens. Pedes mediocres pubescentes, semper rufo-testacei.

In var. β, corpus totum supra nigrum, subtus dilutius piceum, præsertim versus anum.

In var. γ, corpus totum supra & infra rufo-ferrugineum, capite solum obscuriore.

GYLLENH.

188) ELATER UMBILICATUS: sub-depressus niger nitidus, parum pubescens, pedibus rufo-piceis,

thorace punctis umbilicatis impresso, antennis brevibus acute serratis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

El. puncticolli Fabr. simillimus & valde affinis, sed thorax multo minus convexus, æqualis; puncta ejus rariora, minus profunda, evidentius umbilicata, antennæ breviores, acutius serratæ, etc. Caput antice rotundatum, fere planum, nigrum, parce pilosum, antice foveolis duabus impressum & undique punctis rotundatis, parum profundis, evidenter umbilicatis, seu centro sub-elevato notatis, adspersum, oculis majusculis castaneis. Antennæ vix longitudine thoracis, articulo primo magno crasso arcuato rufescente; 2, 3, parvis nodosis piceis, sequentibus etiam piceis, interne longius productis, acuminatis, apice fulvo-pilosis, unde antennæ acute serratæ evadunt. Thorax latitudine parum longior, anterius paullo angustior, ibique late emarginatus, lateribus antice tantum nonnihil rotundatus, basi vix retusus, angulis lateralibus acuminatis; supra parum convexus, æqualis, niger nitidus, parce pilosus, punctis umbilicatis minus crebre adspersus. Scutellum sub-orbiculatum nigrum nitidum læve, in medio impressum. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illo plus triplo longiora, apicem versus attenuata, apice ipso rotundata, supra minus convexa, nigra sub-nitida, parce pilosa, regulariter punctato-striata, punctis remotis orbicularis sub-umbilicatis parum profundis, interstitiis subtilissime obsolete seriatim punctulatis. Corpus subtus nigrum nitidum, parum pilosum, crebrius punctatum, punctis sub thorace & pectore majoribus evidenter umbilicatis, in ventre sensim minoribus, subsimplicibus. Pedes mediocres ruso picei, parce pilosi.

GYLLENH.

189) ELATER COMMUNIS: fusco ferrugineus, griseo-pubescens, posterius valde angustatus, antennis pedibusque dilutius testaceis, thorace brevi punctato, leviter canaliculato.

El. communis. Illig. in litteris ad. Dom. Sturm.

Habitat in America boreali freqvens. Dom. *Westfelt* aliique. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Statura posterius angustata *El. fulvipedis*, sed longe minor, *El. vittato* F. æqualis. Caput transversum fusco-ferrugineum punctatum pubescens, an-

tice rotundatum, supra sub-depressum, inæquale; oculi mediocres glauci. Antennæ thorace longiores, tenues, sub filiformes, dilutius testaceæ. Thorax latitudine fere brevior, antice late emarginatus, lateribus rotundatus, basi retusus, supra minus convexus, fusco-ferrugineus nitidus; sat crebre punctatus, pilis longioribus sub-depressis griseis adspersus in medio dorsi leviter canaliculatus, angulis lateralibus baseos acuminatis. Scutellum ovale, thoraci concolor, densius pilosum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, & illo quadruplo longiora, posterius valde angustata, apice rotundata, supra parum convexa, dilutius fusco-ferruginea sub-nitida, griseo-pubescentia, regulariter sed parum profunde punctato-striata, interstitiis planis subtiliter rugulosis; basis ipsa, præsertim interius juxta scutellum, dilutius rufo-ferruginea. Corpus subtus saturatius fusco-ferrugineum nitidum, confertius punctatum, griseo-pubescens, segmento anali longiore attenuato. Pedes longiusculi tenues, dilutius ferruginei vel testacei, parce pubescentes.

GYLLENH.

190) ELATER AURITUS Herbst.

Habitat etiam in Bothnia Orientali. Dom. *Wasastierna*.

Descriptioni per-brevi Dom. Herbstii addendum: Statura omnino *El. nigrini* Payk. & minimis ejus magnitudine æqualis. Corpus totum pube tenui sub-erecta fusca adspersum. Thorax subtilissime punctulatus, disco niger nitidus lateribus anguste, ad angulos baseos latius rufo-ferrugineus. Elytra crenato-striata. Corpus subtus piceum, subtilissime punctulatum, tenue griseo-pubescens, thoracis lateribus latius quam supra, anoque fusco-ferrugineis. Antennæ & pedes rufo-testacei. GYLLENH.

191) ELATER 4-SIGNATUS: ater hirtus, elytris brevioribus pallide testaceis, apice late punctisque duobus anticis nigris.

Habitat in Germania boreali rarissime. Dom. *Schneider*. Mus. *Gyllenhal*.

El. sanguineo in multis simillimus, & mediocribus ejus speciminibus non angustior, sed in elytris multo brevior & aliter coloratus. Caput parvum rotundatum convexum æquale atrum punctatum, fusco-pubescens,

oculis parvis brunneis. Antennæ vix longitudine thoracis, compressæ, atræ, profunde & arcuate serratæ. Thorax anterius multo angustior, sub-emarginatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi retusus, angulis lateralibus validis acutis, superne carinatis, supra modice convexus, æqualis, totus ater sub-nitidus, fusco-pubescens, confertim punctatus, in medio baseos obsolete canaliculatus. Scutellum oblongo-ovatum atrum punctulatum pubescens. Elytra antice thoracis basi paullo latiora & illo vix triplo longiora, apicem versus valde angustata, supra modice convexa, regulariter punctato-striata, interstitiis planis obsolete punctulatis; apice late, ad tertiam fere totius longitudinem, atra, anterius pallide testacea, margine ipso baseos humerique nigro; macula parva rotundata nigra paullo pone scutellum, inter strias 2 & 3 a sutura, & altera duplo majore paullo posterius versus marginem lateralem, in singulo elytro. Corpus totum subtus atrum sub-nitidum, confertissime punctatum, tenue pubescens. Pedes mediocres nigro-picei pubescentes, tarsis fusco-testaceis.

GYLLENH.

192) ELATER ELEGANS Fabr.

VAR. β, dimidio minor, elytrorum vitta testacea ante apicem macula nigra interrupta.

Habitat in Insula St. Barthelemey. Dom. *Forsström*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Descriptio speciei potius hæc erit: Thorax testaceus, plaga magna ovata nigra, nec latera nec basin attingente. Elytra testacea, sutura late nigra, apicem versus angustata, & præterea stria angusta nigra intra marginem lateralem, e callo humerali exiens, ante apicem desinens; apex hujus striæ in var. β, litura transversa fusca cum nigredine suturæ connexa.

GYLLENH.

193) ELATER VIRIDANUS: lineari-elongatus, sub-depressus, griseo pubescens, capite thoraceque punctatissimis nigris, elytris viridibus, corpore, pedibus antennisque testaceis.

VAR. β. Elytris testaceis, viridi-micantibus.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Statura elongata angusta & magnitudo *El. longicollis*. Caput rotundatum depressum nigrum, confertis-

sime rugoso-punctatum, griseo-pubescens, oculis magnis nigro-brunneis; os et palpi rufo-testacei. Antennæ thorace paullo longiores, fili-formes, fusco-testaceæ, pubescentes. Thorax angustus, sub-linearis, latitudine longior, antice parum emarginatus, basi sub-retusus, angulis lateralibus porrectis acutis; supra modice convexus, niger, confertissime punctatus, griseo-pubescens, ante medium baseos foveola oblonga impressus. Scutellum ovatum fusco-testaceum sub-læve. Elytra latitudine thoracis & illo plus triplo longiora, sub-linearia, apice rotundata, supra parum convexa, aut saturatius viridia, aut læte viridi-ænea, nitida, regulariter & profunde striata striis obsolete punctatis, interstitiis crebre transversim rugosis, unde quasi clathrata apparent elytra. Corpus subtus parce subtiliter punctatum, tenue pubescens, nitidum, capite thoraceque saturatius piceis, pectore abdomineque dilutius rufo-testaceis. Pedes longiusculi pallide testacei, pubescentes.

VAR. β, differt tantum colore elytrorum pallidiore, griseo-testaceo, parum viridi-micante.

GYLLENH.

194) ELATER AMPLICOLLIS: fusco-piceus, tenue pubescens, antennis pedibusque pallidis, thorace amplo depresso inæqualiter punctulato, elytris brevibus profunde punctato-striatis.

Habitat in Insula St. Barthelemy. Dom. *Forsström*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Statura omnino & affinitas *El. tridentati* Fabr., sed dimidio major, *El. balteato* fere æqualis. Caput parvum rotundatum, fere planum, fusco-piceum, subtilissime confertim punctulatum, tenue pubescens, oculis magnis glaucis. Antennæ longitudine thoracis, sub-setaceæ, tenues, pallide testaceæ. Thorax amplus, antice paullo angustior, ibique late emarginatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi sub-retusus, angulis lateralibus porrectis acutis; supra fere planus, totus fusco-piceus, tenue pubescens, superficie oculo acute armato inspecto, omnium subtilissime creberrime punctulata vel coriacea, interjectis punctis paullo majoribus sparsis, profunde impressis. Scutellum ovatum thoraci concolor, pubescens. Elytra vix thorace duplo longiora, basi ejus latitudine, apicem versus angustiora, apice ipso rotundata, supra parum convexa, fusco-picea, tenue pallide-pubescentia, regulariter profunde striata & in striis

evidenter punctata, interstitiis planis sub-laevibus. Corpus subtus fusco-piceum, subtilissime confertissime punctulatum, tenue pubescens, ano dilutiore. Pedes mediocres pallidi vel flavescentes, tenue pubescentes.

GYLLENH.

195) ELATER RUFANGULUS: niger, tenue pubescens, antennis, pedibus angulisque anticis thoracis ferrugineis, thorace amplo, dupliciter punctulato.

Habitat in Rio Janeiro Brasiliae. Dom. *Kymell*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

El rufipedi quodammodo similis, sed major, *El. balteato* fere aequalis; quoad puncturam thoracis cum *El. amplicolli* convenit, sed thorax magis convexus, elytra longiora & color alius. Caput rotundatum convexum nigrum aequale, parum pubescens, subtilissime confertissime punctulatum, oculis nigro-castaneis. Antennae longitudine thoracis, ferrugineae, setaceae, vix serratae. Thorax magnus latus sub-quadratus, antice late sed non profunde emarginatus, lateribus acute marginatus, angulis baseos acuminatis, supra carinatis, carinula elongata, versus medium marginis lateralis fere adscendente; supra modice convexus, niger, parum nitidus, tenue pubescens, angulis anticis ferrugineis: sub oculo acute armato superficies tota omnium subtilissime confertissime leviter punctulata, immixtis punctis aliis profundioribus, omnino ut in *El. amplicolli*. Scutellum ovatum nigrum pubescens. Elytra antice latitudine thoracis, & illo vix triplo longiora, apicem versus angustata supra parum convexa, nigra, tenue pubescentia, regulariter sed non profunde punctato striata, interstitiis subtilissime coriaceis. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, tenue pubescens, omnium subtilissime & creberrime punctulatum. Pedes mediocres obscure ferruginei, tarsis dilutioribus.

GYLLENH.

PASSALUS.

196) PASSALUS CONVEXUS: convexior niger nitidus capite inaequali tuberculato, thorace sulcato, elytris undique punctato-striatis imberbibus.

Habitat — — — Mus. *Schönherr*.

Magnitudo, statura & summa affinitas *P. interrupti*, sed & in thorace & in elytris convexior, his haud

barbatis striis dorsalibus profundius punctatis, nec capitis structura eadem, quare vere distinctus videtur. Palpi nigri nitiduli. Antennæ arcuatæ rufipilosæ, articulis tribus ultimis lamellatis. Mandibulæ breves nigræ arcuatæ, subtus dente majore, super minuto obtusa, armatæ, apice obtuse-tridentatæ. Labium punctatum apice parum emarginatum. Caput inæquale, antice truncatum utrinque dente minuto ad basin mandibularum; orbita oculorum elevata inæquali: in medio verticis tuberculum parum elevatum, anterius exserens carinulas duas divergentes obsoletas. Thorax transversus, latitudine brevior, (& perspicue brevior quam in *P. interrupto*), marginatus, antice truncatus angulis subrectis, lateribus subtus rufo-barbatus; angulis posticis rotundatis; supra convexus totus glaber nitidus, (sub oculo armato subtilissime parce punctulatus); canalicula dorsalis tenuis ipsam thoracis basin, non vero apicem omnino, attingit: præterea utrinque foveola lateralis punctata, & sulcus intramarginalis, antice utrinque ad partem continuatus, profunde punctatus. Elytra paullo convexiora quam in reliquis, sulcis in singulo decem, omnibus crenato-punctatis omnibus convexis glabris; barba humeralis omnino nulla. Corpus subtus nigrum nitidum ut in congeneribus, sterno haud barbato. Pedes ut in affinibus, tibiis intermediis rufo-barbatis. DALM.

197) PASSALUS TRANSVERSUS: castaneus nitidus vertice lævi tri-tuberculato; thorace medio sulcato, antice sinuato angulis rotundatis; elytris imberbis punctato-striatis.

Habitat ad Rio Janeiro Brasiliæ. Dom. *Kantzou*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo fere *P. interrupti*, a reliquis hujus generis distinctissimus forma thoracis & superficie tota, (striis elytrorum exceptis), lævissima haud punctata; specimina nostra rufo-brunnea tota. — Antennæ nigricantes rufo-pilosæ, articulis tribus ultimis pallidis. Palpi nigri nitiduli, labrum truncatum rufescens, punctatum, pilosum. Mandibulæ nigræ capite vix breviores, apice 3-dentatæ & latere inferiore dentibus nonnullis armatæ. Caput inæquale, sed totum læve nitidum impunctatum; in medio verticis tuberculum sub-pyramideum, & antice tubercula duo minora sed evidentia; orbita oculorum elevata inæqualia. Thorax subcon-

vexus longitudine non parum latior, antice utrinque sinuatus angulis omnino rotundatis, lateribus deflexis late marginatis, sulco intramarginali profundo haud punctato; postice truncatus angulis rotundatis; totus lævissimus nitidus, sulco dorsali tenui integro, foveola laterali ut in affinibus, sed omnino impunctata. Elytra quoad formam ut in reliquis, minus depressa, striis lateralibus satis profunde, dorsalibus subtiliter, punctatis; barba humeralis nulla. Corpus subtus dilutius rufo-brunneum nitidum, thorace subtus rufo-piloso. Pedes ut in affinibus, brunnei, rufo-pilosi.

DALM.

198) PASSALUS DILATATUS: depressus niger nitidus, capite inæquali tuberculato, thorace lævissimo haud canaliculato; elytris imberbis, striis exterioribus profunde, interioribus subtiliter, punctatis, interstitiis dorsalibus planis.

Habitat in Nova Hollandia. Dom. *Hooker*. Mus. *Schönherr*.

P. interrupto paullo minor, corpore posterius dilatato. Antennæ arcuatæ rufo-pilosæ, articulis tribus ultimis pallidis. Instrumenta cibaria nigra rufo-ciliata; labrum vix emarginatum; mandibulæ apice obtuse-bidentatæ, latere inferiore dentibus validis 3-4 armatæ. Caput sub-rugosum inæquale, antice in medio emarginatum, lateribus oblique bisinuatum, tuberculo verticis distinctiore, antice carinulas divergentes exserente; orbita oculorum elevata inæqualis. Thorax longitudine determinata latior, marginatus, antice truncatus angulis subrectis, lateribus deflexis subtus rufo barbatus, angulis posticis rotundatis; totus supra lævissimus, (oculo quoque armato), nitidus; sulcus intramarginalis, antice late interruptus, foveola lateralis ordinaria, & angulus anticus, punctis majoribus exarata. Canaliculæ dorsalis non nisi posterius vestigium obsoletum detegendum. Elytra ad basin thoraci fere angustiora, pone medium dilatata, marginata, dorso depressa plana, striis decem; exteriores quinque profundæ, crenato-punctatæ interstitiis convexis; interiores leviores subtiliter punctulatæ, interstitiis planis lævissimis; barba humeralis nulla. Corpus subtus nigrum nitidum ut in affinibus, posterius magis dilatatum, sterno parum pubescente. Pedes ut in reliquis, extus rufo-ciliati.

DALM.

PARANDRA.

199) PARANDRA GLABRA.

Exemplar unicum femininum, e collectione De-Geeriana adhuc residuum, in Musæo Regiæ Acad. Scient. Holm. asservatum, nobis lustrare concessum fuit, qvare descriptioni Ill. DeGeeri, l. c. sequentia addere volumus:

Parandræ lævi Dom. Latreille, loc. antea citato, secundum figuram & descriptionem similis & affinis videtur, sed plus triplo majoi, supra magis convexa, vix visibiliter punctulata, & certe specie distincta. Caput magnum porrectum, dilute castaneum nitidum, subtilissime parce punctulatum, fronte antice inter mandibulas acuminatim producta; mandibulæ maris, teste Dom. DeGeer, capite longiores, arcuatæ, apice bifidæ, interne unidentatæ; feminæ capite breviores, validæ, nigro-piceæ, dente obsoleto intra apicem, alioque versus basin armatæ; labium inflexum, helvolo-pilosum, integrum. Oculi magni prominuli nigri, sub-sinuati. Antennæ vix longitudine thoracis, compressæ, basi piceæ, extrorsum attenuatæ, dilute castaneæ, articulis interne acuminato-productis, unde antennæ sub-serratæ evadunt. Thorax transversus, antice latior, sub-emarginatus, angulis oblique truncatis, lateribus & postice rotundatus, reflexo-marginatus, supra parum convexus, dilute castaneus nitidus, vix visibiliter punctulatus. Scutellum sub-triangulare, thoraci concolor. Elytra thoracis antico vix latiora, humeris prominulis, & illo plus triplo longiora, apice rotundata, abdomine breviora, supra modice convexa, thoraci concolora, illoque paullo evidentius sed non crebre punctulata. Anus pone elytra exsertus conicus, pygidio oblongo-ovato ferrugineo, tenue pubescente. Corpus subtus dilutius rufo-testaceum, parum nitidum, vix punctulatum, pilis minutis versus latera adspersum. Pedes breves compressi, rufo-ferruginei, genubus piceis: tarsi omnes articulis tribus primis obconicis, sub-æqualibus, subtus helvolo-villosis; quarto dimidio minore, nodoso, glabro: unguiculari magno arcuato clavato, ungulis duobus divaricatis armato.

Obs. Dom. Latreille l. c. articulum quartum tarsorum „nodum basilarem articuli unguicularis" nominat, & propterea *Parandram* suam ad *Tetramera* numerat; Ill. DeGeer vero & Cl. Illiger nodum illum ut ar-

ticulum peculiarem inspexerint, majori, ut nobis videtur, jure, quare etiam hoc genus ad *Pentamera* retulerunt. Nomen *Isocerus*, a Clar. Illigero prius quidem huic generi datum, sed nullo charactere generico stabilitum est, quare nomen Cl. Latreillii præferendum.

GYLLENH.

PASSANDRA. Nov. Gen.

200) PASSANDRA. Palpi quatuor inæquales filiformes. Maxilla linearis integra. Ligula & labium bifida, laciniis linearibus angustis divaricatis. Antennæ filiformes.

PASSANDRA SEX-STRIATA: lævissima nitida depressa, subtus rufo-picea, thorace obscure sanguineo, elytris tri-striatis nigris, striis lateralibus approximatis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Statura sub-linearis depressa & facies fere *Passali*, *P. cornuto* paullo minor, lævissima, nitida. Caput magnum depressum, latitudine fere thoracis, antice valde sinuatum, veluti quinquelobum, lobo medio emarginato, profunde impresso; totum glabrum nitidum, nigrum, vix visibiliter punctulatum; in vertice striga transversa, profunde impressa, & supra singulum oculum sulcus adhuc profundior, sub-flexuosus; in fronte antica foveolæ duæ oblongæ, præter majorem antea memoratam in lobo medio supra os; oculi parvi laterales rotundati nigri, parum prominuli. Antennæ dimidio corpore parum longiores, pone basin mandibularum insertæ, nigræ; articulus primus major, crassior, ob-ovatus; secundus brevissimus, nodosus; reliqui sub-æquales obconici, nonnihil compressi, apice interiori producti, incrassati, interne pilis brevibus ciliati; ultimus oblique truncatus, interne acuminato-productus. Thorax transversus, antice capite paullo latior, angulis porrectis acutis, lateribus obliquis, elevato-marginatis; basi truncatus, angulis sub-rectis; supra sub-depressus, totus obscure sanguineus nitidissimus, politus, in disco vix visibiliter punctulatus, sed intra angulum lateralem apicis utrinque plaga sub-triangularis confertim & rude rugoso-punctata. Scutellum parvum trapeziforme nigrum, apice nonnihil elevatum. Elytra thoracis basi latiora & illo plus triplo longiora, fere linearia, humeris rotundatis vix prominulis; apice rotundata, supra

sub-depressa, nigra nitida lævissima; in singulo striæ tres impressæ, impunctatæ, una juxta suturam, profunda, integra, a basi ad apicem producta, ibique margini conjuncta; altera ante humerum incipiens, apicem non attingens, etiam profunde impressa; tertia juxta secundam exterius, obsoletior, leviter incusa, & præterea ante ipsum marginem lateralem striolæ nonnullæ obliquæ, breves, obsoletæ. Corpus subtus rufo-piceum læve nitidum, capitis thoracisque supina parte fere nigris; abdominis margo lateralis linea testaceo-pubescenti cinctus. Pedes obscure rufo-picei, tibiis interne tenuissime ciliatis; tarsi omnes exacte quadri-articulati, absque rudimento nodi basilaris in articulo unguiculari; nigri, subtus fulvo-ciliati, non vero spongiosi. — Tab. 6. fig. 3.

Instr. Cib. Mandibulæ magnæ validæ corneæ subtriangulares, extus rotundatæ, intus sub-tridentatæ, dentibus obtusiusculis, apice indiviso. Maxilla basi cornea valida, processu sub-coriaceo arcuato integro, interne longius fulvo-ciliato. Palpi maxillares maxilla multo longiores 4-articulati, 1:o brevi, 2, 3, elongatis sub-cylindricis, ultimo adhuc longiore, paullo crassiore, arcuato, apice rotundato; labiales breviores 3-articulati. Labium corneum bifidum, laciniis linearibus angustis divaricatis; ligula membranacea, labio arcte applicata & similiter constructa, dense fulvo-ciliata.

Dalm.

PRIONUS.

201) Prionus reticulatus: obscure nigro-brunneus sub-opacus, thorace depresso subspinoso, elytris 3 costatis apice reticulatis muticis.

Habitat — — — Mus. Dom. *Schönherr*.

Magnitudo & fere statura *Pr. depsarii*, sed magis depressus & opacus. Caput thorace angustius, nigrum, parum nitidum crebre punctulatum, linea verticis longitudinali impressa: mandibulæ breves; palpi ferruginei. Antennæ in nostro corpore breviores, fusco-ferrugineæ, articulis 11, primo sub-obconico, secundo brevissimo, tertio longissimo lineari, reliquis sensim decrescentibus muticis. Thorax depressus, apice truncatus, basi subsinuatus marginatus, lateribus spina media obtusa armatus, dorso depressus, nigrofuscus crebre & irregulariter punctatus. Scutellum subcordatum pun-

ctulatum. Elytra fusco-nigricantia opaca, ad basin thorace latiora, pone medium dilatata, apice rotundata mutica. Præter suturam & marginem in singulo elytro lineæ tres longitudinales elevatæ, nitidiores, versus apicem ramulis anastomozantibus irregulariter connexæ, unde elytra posterius rude reticulata apparent; interstitia crebre punctata. Corpus subtus nigrum, subtiliter at creberrime punctulatum, abdomine rufescente. Pedes elongati obscure-rufoferruginei, simplices. Specimen nostrum femina. DALM.

102) PRIONUS POCULARIS; obscure-rufescens, thorace 3-dentato, elytris punctulatis apice unidentatis; antennis maris perfoliatis, serratis.

Habitat in Georgia Amer. bor. Dom. *Hooker*. Mus. *Schönherr*.

Statura & summa affinitas *Pr. coriarii*, sed paullo minor præsertim angustior, totus obscure-rufescens; differt præterea elytris determinate punctulatis, & ad angulum suturalem denticulo distinctiore armatis. Caput rufum nitidum, structura ut in *Pr. coriario*, sed minus crebre punctatum, oculis maximis nigris. Antennæ quoque ut in mare illius constructæ, articulis scilicet poculiformibus, sed distinctius perfoliato-serratæ videntur. Thorax colore reliqui corporis, transversus, antice parum profunde sed late emarginatus, basi subsinuatus, lateribus tridentatus, dente postico obtusiore; parcius punctulatus disco sublævi; in nostro specimine foveola utrinque pone medium dorsi. Scutellum semiovatum levissimum rufum. Elytra thorace latiora, illoque fere sextuplo longiora, rufo-ferruginea immaculata, vix coriacea sed undique punctis distinctis impressa, denticulo suturali minuto; in latere singuli elytri pone humerum observatur sulci longitudinalis vestigium obsoletum, costarum vero omnino nullum. Corpus subtus ferrugineum, abdomine pallidiore glabro, sterno testaceo-lanuginoso. Pedes rufi tarsis dilutioribus. DALM.

103) PRIONUS SPADICEUS: elongatus lævis spadiceus, thorace utrinque 4-dentato, dorso calloso; elytris apice unimucronatis.

Habitat — — — Mus. *Schönh.* a Dom. *Schneider* communicatus.

Statura angustata *Pr. cylindrici*, sed major. Caput obscurum leve, sulco frontali ordinario, mandibulis

brevibus nigris. Antennæ in nostro dimidio corporis parum longiores, simplices, (articulis 11), nigricantes. Thorax marginatus, antice truncatus, basi utrinque subsinuatus, lateribus subrectis spinis quatuor validis armatis; supra convexus obscure spadiceus, totus lævis parum nitidus, lateribus depressis pube pallida sparsis; in medio dorsi callus indeterminatus utrinque. Scutellum minutum semiovatum concolor. Elytra basi thoracis non multo latiora, latitudine plus duplo longiora, marginata lateribus rectis, apice depressa rotundata mucrone suturali minuto; tota spadicea. levia, (oculo acute armato confertissime subtilissime punctulata), sulcis costisve omnino nullis. Corpus subtus obscurius, læve, sternum pube pallida densiore, abdomen parciore vestita. Pedes simplices nigricantes.

DALM.

104) PRIONUS YOLOPUS: obscure spadiceus, lævis, thorace brevi utrinque 3-spinoso, disco glabro nitido, lateribus testaceo-pubescenti; elytris dente suturali minuto.

Habitat in Sierra Leona. Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Statura fere *Prioni gigantei* — (Oliv. Tab. VI. f. 21.), sed multo minor, *Priono serripedi* — (Oliv. Tab. X. f. 36.) æqualis. Caput breve nigrum, nitidum, punctulatum, in vertice longitudinaliter striatum; frons inter antennas emarginata, clypeo transverso depresso, antice lobato. Mandibulæ validæ capite breviores: palpi rufescentes. Oculi magni, maximam capitis partem occupantes. Antennæ longitudine dimidii corporis, compressæ, (articulis 11), nigricantes, versus apicem serratæ. Thorax parvus depressus, subquadrangulatus, antice utrinque sinuatus, postice subtruncatus, utroque latere spinis tribus validis armatus; in disco glaber nitidus niger, ad latera dense testaceo-pubescens. Scutellum breve semiovatum, obscure-fuscum. Elytra magna, elongata, thorace fere duplo latiora, illoque sextuplo longiora, marginata, depressa, obscure spadicea; prope medium baseos rude rugoso-punctata, ceterum lævia, (oculo armato subtilissime coriacea), nec costata, nec striis vel rugulis exarata; apice rotundata submutica, tantum spinula minuta suturali armata. Corpus subtus nigricans, pectore sternoque pube brevi lu-

tescenti vestitis. Pedes simplices compressi, nigricantes, tarsis subtus testaceis. — Femina.

Dalm.

CERAMBYX.

205) Cerambyx fragrans: thorace spinoso; viridi sericeus, elytrorum sutura concolore; antennis pedibusque rufis.

Habitat in Sierra Leona. D. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Statura omnino, & affinitas *C. afri*, paullo tamen minor; colore supra paullo obscuriore, & præsertim sutura omnino concolore differt. Antennæ vix corpore longiores, rufo-ferrugineæ. Caput viridi-sericeum; frons retusa quadrata, punctulata, colore nitidiori. Os non productum, mandibulis viridibus apice nigris, palpis labroque rufescentibus. Thorax viridi-sericeus, pro luce colore obscuriore & nitidiore varians, subtiliter transversim strigosus, utrinque spina valida nitidiori armatus. Scutellum subtriangulare viridi-sericeum. Elytra ad basin thorace latiora, humeris rotundatis vix prominulis, sensim modice angustata, apice vix singulatim rotundata, dorso depressa, obscure-viridia tota, sericea, colore pro situ variante, suturæ tamen nullo modo vivaciore. Corpus subtus viride nitidum ano fusco, oculo armato subtilissime punctulatum, pube tenui subtestacea parcius vestitum, præsertim ad latera. Pedes toti rufo-ferruginei, tibiis tarsisque pube densa fulva obductis, femoribus anterioribus clavatis, posticis apicem elytrorum attingentibus. Abdomen a tergo rufo-testaceum, sericeum; alæ obscuræ, fuscæ.

Dalm.

206) Cerambycis afri character emendandus;
C. afer: thorace spinoso: viridi-sericeus, thorace elytrorumque sutura vivacioribus: antennis pedibusque rufis.

Habitat in Sierra Leona. D. Prof. *Afzelius*.

Sutura læte viridis ut eam descripsit D. Fabricius Ent. Syst. l. c. & quoque depinxit Dom. *Drury*, sed antennæ in nostro, corpore non parum longiores, apice nigræ. Corpus subtus pube flavo-sericea densiore quam in *C. fragrante* obductum. — Fabricium hunc & non *C. fragrantem* nostrum descripsisse e verbis in Ent. S.

„sutura nitidiore" — illustratur. Citatum vero ad Oliv. omnino erroneum; locis citatis enim non nisi *Ceramb. Halodendri* Pall. & *ephippium* nob. repræsentantur.

DALM.

207) CERAMBYX ARGENTATUS: thorace subspinoso; viridi-nitens, subtus argenteo-sericeus, antennis pedibusque obscure violaceis, tibiis anterioribus testaceo-pubescentibus.

Habitat — — — Mus. D. *Schönherr*.

Magnitudo & statura *C. moschati*, sed thorace æquali, pedibus longioribus, femoribus posticis scilicet elytrorum apices attingentibus, ut & colore distinctissimus. Antennæ longitudine corporis, apice attenuatæ, nigro-fuscæ, basi violaceæ, articulis subtus apice oblique acuminatis, ut subspinosæ videantur. Caput viride nitidum, punctulatum, inter antennas impressum, lineaque frontali. Os non productum, mandibulis viridibus, apice infuscatis. Thorax brevis, latitudine vix longior, modice convexus, viridis, nitidus, immaculatus, rugosus; linea dorsali nitidiore, callo laterali utrinque pone medium, alioque anterius obsoleto, glabris. Scutellum triangulare, acutum, viride, glaberrimum, nitidum, margine elevato nigro. Elytra thorace fere quintuplo longiora, ad basin multo latiora, humeris rotundatis parum prominulis; posterius modice angustata, apice rotundata, supra plana, linea media longitudinali elevata obsoleta; tota subtilissime rugosa, subsericea, viridia, (colöre *C. moschati*,) margine vittaque media basali abbreviata, obscurioribus. Corpus subtus læte viride, pube holosericea nivea, argentatum, pro situ & luce colore varians. Pedes simplices, forma ut in *C. moschato*, violacea; femora postica elongata, apicem elytrorum attingentia; tibiæ anteriores testaceo-pubescentes, tarsi nigro-fusci, antici pallide-pubescentes.

DALM.

208) CERAMBYX ATROVIRENS: supra obscure virens, sub-opacus, antennis nigricantibus apice subcrassioribus; thorace inermi; femoribus clavatis.

Habitat — — — Mus. *Schönherr*.

Valde affinis *Cer. argentato*, sed minor, præsertim brevior; antennis minime spinulosis & apice haud tenuioribus, pedibus magis clavatis ut & colore obscuriore subopaco, vere distinctus. Antennæ vix corpore

longiores; nigricantes, versus apicem potius sub-incrassatæ quam attenuatæ. Caput obscure viride, forma ut in affinibus. Thorax vix convexus, in medio latior, utrinque subtuberculatus, oculo armato subtilissime rugosus, obscure-sericeo virescens, colore ad latera paullo nitidiore. Elytra thorace latiora, illoque quadruplo longiora, linearia, humeris rotundatis nonnihil prominulis; apice singulatim rotundata, dorso plana, obscure viridia, minus nitida, punctatissima & subsericea; margo lateralis violaceus, & ad basin elytri rudimentum vittæ obscuræ, etsi valde obsoletum. Oculo armato deteguntur in singulo elytro lineæ tres longitudinales, sub-elevatæ, media ab humero oblique ad apicem ducta, & alia juxta illam utrinque, spatio subæquali remotæ, omnes tamen valde obsoletæ. Corpus subtus cœruleo-virens, nitidum, pube tenui albido-sericea obductum. Pedes subviolacei, femoribus omnibus valide clavatis, anterioribus basi rufis, posterioribus apicem elytrorum attingentibus; tibiæ compressæ, tarsi nigro-fusci. DALM.

209) CERAMBYX FABRICII: supra obscure-viridi-sericeus, thorace submutico, maculaque scutellari nitidioribus, antennis pedibusque nigris, femoribus anterioribus rufo-maculatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

C. moschato paullo minor, magisque cylindricus, & postice longe angustior, statura magis ad *C. argentatum* n. 21. h. op. accedens, sed totus holosericeus & multo subtilius punctulatus, ut & colore, pedibus brevioribus, tarsisque albido-pilosis omnino distinctus. Antennæ corpore longiores, statura ut in *C. moschato*, nigro-fuscæ, articulo primo crassiore viridi. Caput viridi-sericeum punctatissimum, intra antennas impressum, lineaque longitudinali, aliaque frontali intra oculos. Os porrectum, angustatum, mandibulis viridibus, palpis labroque nigris, testaceo-marginatis. Thorax in medio elytrorum latitudine, antice posticeque angustatus, modice convexus, subtilissime punctulatus, viridis nitidus, certo situ e atro-holosericeo varians; in utroque latere tuberculum obtusum. Scutellum subtriangulare viridi-sericeum. Elytra thorace plus triplo longiora, & ad basin illo latiora, humeris rotundatis non prominulis, postice sensim angustiora, apice singulatim rotun-

data, viridia, atro-holosericea, subrugosa; sub scutello macula trapeziformis viridi-nitens. Corpus subtus læte viride, pube sericea argenteo-nivea obductum, ut colores pro luce & situ mutabiles. Pedes forma ut in *C. moschato*, nigro-fusci, parum nitidi, punctatissimi; femora anteriora in medio rufo-maculata, postica immaculata apicem elytrorum non attingentia; tibiæ compressæ; tarsi posteriores pube longa albida vestiti.

Memoria Præclarissimi *Dom. Professoris* J. C. FABRICII, apud omnes Scientiæ Entomologicæ amatores, summa cum laude in sæcula durat: specialem vero venerationem, per denominationem hujus animalculi exprimere voluerunt

SCHÖNHERR & DALMAN.

210) CERAMBYX SPECIOSUS: elongato-cylindricus, atropurpureo-micans, subtus argenteo-holosericeus, pedibus rufis; thorace subspinoso.

Habitat in Sierra Leona. D. Prof. *Afzelius*.

Longitudo *C. moschati* sed angustior, convexior, magisque linearis. Caput atrum, purpureo micans, subtilissime rugosum; frons plana, utrinque linea elevata, & inter antennas lineola impressa. Os valde productum, mandibulis angustis nigris, palpis rufescentibus. Antennæ nigræ, filiformes, tenues, vix longitudine corporis. Thorax atro-holosericeus, latitudine elytrorum, & latitudine vix longior, subglobosus, utrinque spina obtusiuscula armatus. Scutellum minutum, atroholosericeum. Elytra thorace non latiora, sed quintuplo longiora, linearia, convexa, apice rotundata, atro-sericea, e purpureo vel violaceo micantia, præsertim versus apicem; lineis duabus elevatis, obsoletis. Corpus totum subtus atro-purpureum, argenteo-holosericeum, præsertim ad margines segmentorum. Pedes toti rufi immaculati, postici longiores, lineares, femoribus, (minime clavatis,) tibiisque compressis.

DALM.

211) CERAMBYX TORQUATUS: viridis nitens, capite, antennis, pedibusque clavatis, violaceis; elytris purpureis sutura viridi; thorace mutico.

Habitat in Sierra Leona. Dom. Prof. *Afzelius.* Mus. *Schönh.*

Individuis minoribus *C-s moschati* magnitudine æqualis, sed angustior, magis linearis & convexior, statura magis ad *C. brevicornem* Fabr. accedens, etsi illo longe major. Antennæ corpore vix breviores, ut in *C. moschato* formatæ, basi violaceæ, apice fuscæ. Caput latitudine thoracis, purpureo-violaceum, nitidum, punctatum; frons viridis, punctata, inter antennas emarginata, lineaque longitudinali impressa. Os non productum, palpis nigris, mandibulis brevibus violaceis. Thorax elytrorum basi angustior, subcylindricus, dorso minus convexo, ante medium coarctatus; pars anterior l. collaris violacea, nitida, impunctata, posterior viridis nitens, profunde & crebre punctata; ad basin iterum coarctatus, striis vel sulculis 2-3 transversis. Scutellum triangulare, acutum, viride, nitidum, lateribus punctulatum. Elytra ad basin thorace multo latiora, & illo triplo longiora, subconvexa, humeris prominulis, postice angustata, singulatim rotundata; purpurea punctatissima, subsericea, ad suturam læte viridia, nitida, maculaque viridi ad basin, inter scutellum & humerum. Corpus subtus viridi aureum, nitidissimum, subtilissime & sparsim punctulatum, collo anoque cœrulescentibus. Pedes cærulescentes, elongati, gracillimi, femoribus clavatis, clavulis crassiusculis violaceis, femoribus posticis apicem elytrorum attingentibus, tibiis compressis. DALM.

212) CERAMBYX PLAGIATUS: supra violaceus, elytrorum disco viridi, subtus viridi-nitens, albido-maculatus; thorace elongato inermi, antennis pedibusque posticis violaceis, anteriorum clavulis fuscis.

Habitat in Sierra Leona. D. Prof. *Afzelius.* Mus. *Schönh.*

Statura omnino *C. torquati* n. 28 h. op. sed longe minor, *C. brevicorni* Fabr. æqualis, & affinis, sed angustior & omnino distinctus. Antennæ corpore vix breviores, obscure violaceæ. Caput viride, nitidum, longe infra oculos productum, ore tamen brevi; frons plana punctatissima. Thorax forma ut in *C. torquato*, scilicet latitudine fere duplo longior, convexus, longe ante apicem coarctatus, ut etiam postice ante basin, in medio subglobosus, lateribus rotundatus, omnino inermis; violaceo-cyaneus, glaberrimus, postice viridis

rugoso-punctatus. Scutellum depressum, triangulare, acutum, viride nitidum. Elytra latitudine thoracis & vix quadruplo longiora, omnino linearia, apice singulatim rotundata, dorso plana, humeris parum prominulis; sericea, posterius margine violacea, discus vero viridis nitidus, antice angustatus, basin attingens. Corpus subtus viridi-aureum nitidissimum, lobis pectoris segmentisque abdominis, ad latera oblique, pube albo-sericea marginatis. Pedes elongati graciles, femoribus valde clavatis; postici violacei toti, femoribus apice elytrorum multo longioribus; anteriores nigri clavulis crassis rufis.

Cer. brevicornis Fabr. huic valde similis, præsertim quoad colorem & pedum formam, sed differt thorace multo breviore, punctato; antennis pedibusque longe brevioribus, femoribus posticis apicem elytrorum non attingentibus, nec subtus albido maculatis.

DALM.

213) CERAMBYX GRACILIPES: thorace inermi; linearis, viridis, antennis pedibusque gracillimis nigris; femoribus clavatis; tibiarum apicibus tarsisque testaceis.

Habitat in Sierra Leona. D. Prof. *Afzelius*. Mus. *Schönh.*

Statura ad *C. longipedem* accedit, sed longe minor & *C. plagiato* n. 29 h. op. forma magis conveniens, paullo brevior tamen & longe angustior, linearis, ne dicam filiformis. Antennæ tenuissimæ — (in nostro deſectæ.) — Caput elongatum viride nitens, punctatum, ore nigricante. Thorax subcylindricus, ante apicem nonnihil coarctatus, viridi-cyaneus, nitidus, temere punctulatus. Scutellum triangulare viridi-sericeum. Elytra linearia, humeris rotundatis vix prominulis, linearia, viridi-sericea, oculo armato subtilissime coriacea, minus nitida, margine laterali late cœruleo; in medio singuli elytri linea elevata longitudinalis obsoleta. Corpus subtus viridi-cyaneum, nitidum, ad margines pube albido-sericea maculatum. Pedes tenuissimi nigri; femora ante apicem clavulis distinctis crassiusculis, postica apicem elytrorum adæquata; tibiis tarsisque apice testaceis, pubescentibus. Abdomen a tergo violaceum; alæ pallide infuscatæ.

DALM.

214) CERAMBYX CLAVIGER; viridis immaculatus, supra subtilissime coriaceus; thorace mutico; an-

tennis brevibus nigris, apice valde incrassatis, pedibus obscuris.

Habitat — — — Mus. D. *Schönherr.*

Statura *C. clavicornis* l. *longipedis*, præsertim prioris, cujus quoque color omnino, etsi totus immaculatus, brevior, antennis quoque brevioribus & fere crassioribus. — Caput punctulatum; frons quadrata vix retusa, viridis, ore concolore. Antennæ corpore vix longiores, versus apicem sensim sed eximie incrassatæ, apice obtusæ, nigræ, articulo primo viridi. Thorax elytris angustior, pone medium nonnihil dilatatus, vix convexus, subtiliter rugosus. Scutellum subtriangulare virescens. Elytra thorace vix quadruplo longiora, linearia, margine laterali nonnihil sinuato, apice singulatim rotundata, obscure viridia immaculata, oculo armato subtiliter coriacea. Corpus subtus viridi cyaneum nitidum. Pedes mediocres, obscure virescentes, femoribus sensim & modice clavatis, posticis apicem elytrorum attingentibus. DALM.

215) CERAMBYX AURICOLLIS: viridi-sericeus punctulatus; thorace mutico aureo, subtilissime striato; abdomine, antennis pedibusque elongatis, nigris.

Habitat in Georgia Amer. boreal. D. *Megerle*; nomine „*C. auricollis Klug*," communicatus. Mus. *Schönh.*

Parvus, vix longitudine *Callidii undati*, facie a præcedentibus omnino aliena, certe tamen hujus generis: nitidus, elegans. Antennæ nigræ, corpore plus duplo longiores, tenuissimæ, articulis 3 & 4 pilis nonnullis vestitis. Caput viridi-sericeum, nitidum, punctulatum, mandibulis concoloribus, apice palpisque nigris. Thorax elongatus, subcylindricus, postice nonnihil, antice magis angustatus, omnino muticus, subtilissime transversim rugulosus, colore aureo vivacissimo. Scutellum semiovatum obscurum. Elytra ad basin thorace latiora, triplo longiora, postice modice angustata, apice truncata, supra parum convexa, læte viridia, veluti sericea; pube scilicet tenuissima albicante parcius adspersa; subtiliter punctata; sutura margineque summis nigris. Corpus subtus viridi-sericeum, nitidissimum, punctulatum, abdomine nigro-violaceo temere albido-pubescente. Pedes graciles, nigri, pubescentes, anteriorum femora viridia, anticorum clavata; postici valde elongati, femoribus dimidia fere parte ultra apicem elytrorum extensis.

Anne huc spectat *Callidium bicolor.* Fabr. Oliv.? — Secundum figuram Cl. Olivierii affinis videretur, cum vero thorax planus, lævis, & pedes nigri describuntur, & de colore nitido nihil dicitur, vix idem est.

DALM.

216) CERAMBYX ABDOMINALIS: viridi-sericeus, violaceo-micans, subtiliter coriaceus, thorace mutico, antennis pedibusque longioribus nigro-violaceis, abdomine testaceo.

Habitat in Isle de France. Dom. *Alford*. Mus. Dom. Doct. *Hollberg*.

Statura fere & longitudo *C. longipedis*, sed paullo latior. Caput porrectum sericeo-viride, ad latera & præcipue antennarum basin violaceo-micans, confertim & evidenter rugoso-punctatum, fronte inter antennas canaliculata; oculi lunati brunnei, pone antennarum insertionem interrupti. Antennæ corpore fere duplo longiores, nigræ, parum violaceo-micantes, scabræ, articulo primo magno, crasso, obconico; secundo parvo nodoso; sequentibus valde elongatis, filiformibus, apice ipso paullo crassioribus. Thorax subtransversus, latitudine paullo brevior, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, omnino muticus, supra subdepressus, viridi-sericeus, versus latera parum violaceo micans, undique confertim ruguloso-punctatus, in disco subtiliter, ad margines paullo fortius. Scutellum semi-ovale violaceum, parce punctulatum. Elytra thorace quadruplo longiora, sub-linearia, apice obtusa, cum acumine obsoleto suturali, supra parum convexa, viridi sericea opaca, humeris suturaque violaceo-micantibus, undique subtilissime & confertissime ruguloso-punctata vel coriacea. Caput & thorax subtus viridia nitida, evidentius punctata; pectus viride sub-opacum, subtilius punctulatum; abdomen totum rufo-testaceum nitidum, parce punctulatum, tenue pubescens. Pedes elongati validi nigro-violacei scabri, femoribus posticis abdomine longioribus sub-linearibus, tarsis omnibus subtus dense cinereo-spongiosis.

GYLLENH.

217) CERAMBYX EPHIPPIUM: niger scaber pubescens, elytris sanguineis plaga communi postica nigra, anterius acuminata.

Habitat copiose in *Elæagro angustifolia* ad fluv. *Terek.* Statura & affinitas summa cum *C. Halodendri*

Pallas, sed differt hic guttula tantum baseos summoque margine exteriore elytrorum sanguineis. In nostro color sanguineus totam basin occupat, suturam tamen non attingit, versus apicem vero latitudine decrescit ita ut hic niger remaneat." STEVEN.

Magnitudo *Sap. populneæ*, valde angustatus, linearis statura *Saperdæ*, sed capite brevi, fronte haud retusa, thorace rotundato, pedibusque elongatis hujus generis; colore & pictura omnino *Cer. Kœhleri*. Corpus nigrum pube pallida adspersum, quæ in thorace, pectore & basi elytrorum longior & erecta, in apice elytrorum brevi depressa invenitur. Caput breve nigrum, rugoso-punctatum. Antennæ tenues nigræ, corpore longiores. Thorax latitudine vix longior, lateribus rotundatus, muticus, subdepressus totus niger rude rugoso-punctatus, pube pallida reliqui corporis. Elytra thorace latiora, & latitudine triplo longiora, linearia, marginata, basi truncata rude punctato-rugosa, humeris prominulis, dorso depressa posterius scabra apice rotundata; basis & latus exterius singuli elytri colore læte sanguineo ornata, relicta plaga magna communi nigra, antice acuminata & apicem & scutellum attingente. Scutellum & sæpius punctum parvum humerale quoque nigra. Corpus subtus nigrum, punctatum, immaculatum, pubescens, alis obscuris. Pedes graciles nigri pubescentes, postici elongati.

DALM.

218). CERAMBYX STRIGICOLLIS: obscure fuscus, griseo-pubescens; thorace elongato transversim rugoso; antennis pedibusque obscure ferrugineis; oculis in vertice subcontiguis.

Habitat in Bengalia. Mus. *Schönherr*.

Statura fere *C. holosericei*, sed multo minor *Clyto striato* æqualis, sed angustior, subcylindricus. Antennæ corporis longitudine, apice sensim angustiores, obscure ferrugineæ; articulis 4 basalibus apice rotundatis, nitidioribus, reliquis opacis, latere interno apice acutis, ultimus tenuis linearis. Caput nigrum l. nigrofuscum, oculis magnis lateralibus, nigris, in vertice fere conniventibus, relicta tamen lineola verticis impressa; frons punctata, linea sub-circulari impressa: os nonnihil prominulum, palpis testaceis, apice truncatis. Thorax niger, elongatus, convexus, collare angustiore, in medio dilatatus, lateribus rotundatis inermibus, supra

transversim rugosus, rugis profundis, ad latera evanescentibus, pube pallida tectis. Scutellum brevissimum fuscum. Elytra thorace vix latiora, triplo longiora, humeris vix prominulis, posterius angustiora, apice truncata, mutica, subtiliter & crebre punctulata, nigrofusca, pube tenui albicante obducta. Corpus subtus fusco-piceum, pallido-pubescens, thorace obscuriore, ano dilutiore. Pedes simplices obscure ferruginei pubescentes, femoribus posticis apicem elytrorum non attingentibus. DALM.

219) CERAMBYX (LISSONOTUS) BIGUTTATUS: rufoferrugineus glaberrimus, antennis tarsisque atris, elytris apice truncatis unidentatis, dorso nigris maculis duabus rubris.

Habitat in Brasilia? sub nomine: „*Callidium biguttatum Hoffmansegg*" — a Dom. *Schneider* communicatus. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo fere *Cer. Kœhleri*. Antennæ corpore paullo breviores, compressæ, serratæ, articulis 11: primo rufescente, secundo brevissimo transverso; reliquis magis compressis, atrosericeis, ultimo longiore flexuoso, apice obtusiusculo. Caput parvum, breve, rufoferrugineum nitidum, oculo armato punctis minutis hinc & inde sparsis; frons antice late truncata; os breve mandibulis nigris, labro ferrugineo, ciliato; palpis brevibus, nigris, nitidulis. Oculi nigri, excisi. Thorax elytrorum basi fere latior, latitudine paullo brevior, valde convexus; antice truncatus, marginatus, lateribus rotundatus; postice parum angustatus, late truncatus, angulis prominulis sinuatis, sinubus humeros elytrorum excipientibus, margine interjacente basin scutelli elytrorumque obtegente; totus rufoferrugineus, glaberrimus, punctis minutis sparsis. Scutellum magnum triangulare, apice acutissimo, rufoferrugineum, oblique nigro-lineatum, glaberrimum, oculo etiam acutissime armato omnino impunctatum. Elytra ad basin latitudine thoracis, illoque duplo-dimidioque longiora, posterius sensim angustata, marginata, humeris prominulis, apice truncata, angulo extimo dente minuto acuto, armata; supra convexa, glabritie punctisque ut in thorace; disco nigra, in singulo macula magna orbiculata rubra, ad apicem scutelli; margo lateralis & apex obscure ferruginea. Corpus subtus ferrugineum, temere punctulatum; pectus latum, apice trun-

catum, insertionibus pedum anteriorum valde remotis; lamina sterni plana, apice truncata, non mucronata. Pedes validi, breves, femoribus crassis, tibiisque nonnihil arcuatis, rufoferrugineis; tarsi supra atro-pilosi, subtus fuscospongiosi. — Tab. 6. f. 4. b. magnitudo naturalis; f. 4, a. aucta.

DALM.

LAMIA.

220) LAMIA MAMMILLATA: obscure fusco-brunnea. maculis elytrorum lateribusque sterni albidis; thorace spinoso tuberculato-calloso; sterno tuberculis mammillaribus.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Statura fere *El. Textoris*, paullo minor. Corpus totum investimento pulverulento fusco-brunneo inductum. Caput inter antennas depressum, corpori concolor; palpi rufo-picei: antennæ nigricantes. Thorax colore reliqui corporis, immaculatus, utrinque spina valida obtusa armatus, supra tuberculis nodulisque variis valde inæqualis, tuberculis duobus ante apicem majoribus distinctioribus. Scutellum truncato-cordatum, pallide pubescens. Elytra thoracis basi multo latiora, illoque fere triplo longiora, humeris sub-prominulis, lateribus subrectis, apice singulatim rotundata, dorso depressa; obscure fusco-brunnea, hinc & inde setulis rigidis albis parcius adspersa, prope basin & versus latera antica nigro-granulosa; in ipsa basi intra humerum & scutellum lineola alba, & paullo pone illam in disco punctum obsoletum ejusdem coloris, paullo pone medium macula magna difformis, aliaque subapicali obsoleta sordide-albidæ. Corpus subtus concolor, obscurius; lateribus sterni determinate albido-coloratis. Intra insertiones pedum intermediorum & posteriorum tubercula duo distincta, submammillaria, nigra. Pedes mediocres validi, corpori concolores, setulisque albis parcius adspersi; femora annulo apicali albido; tibiæ posteriores apice exteriore dense luteo-pubescentes.

DALM.

221) LAMIA SERRICORNIS: nigro-fusca testaceo-pubescens, thorace pectoreque testaceo-villosis, antennis longitudine corporis serrato-spinosis; elytris apice truncatis unidentatis.

Habitat in India orient.? — Mus. *Schönherr.*

Statura & magnitudo fere *Lamiæ Rubi*, sed convexior & humeri rotundati. Antennæ longitudine fere corporis, articulis 11; primo obconico, secundo brevissimo, mutico, reliquis apice interiore oblique producto, unde antennæ serrato-spinosæ evadunt: articulus ultimus elongatus sublinearis. Caput cum oculis latitudine fere apicis thoracis, nigro-fuscum testaceo-pubescens, fronte depressa; mandibulæ breves nigro-nitidulæ. Oculi nigri maximi, capitis latera fere tota occupantes; collum angustatum. Thorax latitudine longitudini adæquata, basi apiceque truncatus & coarctatus, utrinque spina minus acuta armatus; supra convexus, nigro-fuscus, rugosus, testaceo-villosus. Scutellum semiovatum dense testaceo-pubescens. Elytra ad basin thorace multo latiora, illoque quadruplo longiora, humeris elevatis rotundatis, haud prominulis, apice truncata spina suturali acuta; supra convexa, lævia, tota fusca, pube brevi subsericea cinereo-lutescenti obducta. Corpus subtus nigro-fuscum, pectore sternoque hirsutie densa testaceo-lutescenti tectis. Abdomen pube brevissima lutescenti obductum. Pedes simplices compressi, nigro-fusci testaceo-pubescentes.

DALM.

222) LAMIA UMBRINA: spadicea, thorace spinoso rugoso corporeque subtus testaceo-pubescentibus; elytris lævibus apice truncato bidentato; antennis corpore longioribus.

Habitat — — — Mus. *Schönherr.*

Magnitudo & fere statura *Lamiæ Rubi*. Caput nigrum alutaceum, antennis corpore longioribus nigro-brunneis asperis. Thorax transversus, utrinque spina valida acuta armatus, supra profunde rugosus, niger, pube brevi testacea inæqualiter obductus. Scutellum parvum subdepressum, breviter-triangulare, pallide pubescens. Elytra thorace latiora, illoque plus triplo longiora, humeris rotundatis haud prominulis, tota lævia, (oculo armato subtiliter coriacea,) brunneo-nigricantia immaculata, pube brevissima albicanti adspersa, præsertim posterius & ad latera; apex elytrorum oblique truncatus, bidentatus, dente suturali acutiore. Corpus subtus fusco-brunneum, pectore pilis lutescentibus ve-

stito, abdomine pube concolore parcius adsperso. Pedes simplices, compressi, mutici, corpori concolores.

DALM.

223) LAMIA PRINCIPALIS: fusco-virescens capite thorace pectoreque luteo-variegatis; elytris antice maculis 7 luteis nigro flavoque cinctis, posterius flavo-maculatis; segmentis ventralibus margine punctoque connexo flavis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo & fere statura *L. Textoris*, antennis vero longioribus & tenuioribus, & coloribus ad *L. regalem* accedens, sed maxime variegata. Caput breve fronte subquadrata truncata lævi, totum lineis luteis, virescentibus, nigrisque variegatum. Antennæ longitudine corporis, nigræ immaculatæ. Thorax transversus antice truncatus postice sinuatus, lateribus spina valida armatus, dorso subplano lævi, margine postico late & abrupte depresso; totus niger pube flavo-virescenti variegatus, margine antico & postico maculaque utrinque ante spinam, luteis. Scutellum subtriangulare nigrum, viride pubescens. Elytra antice thorace multo latiora, illoque vix quadruplo longiora, basi truncata, angulo humerali rotundata, sed in ipsa basi intra humeros utrinque triangulariter excisa; apice rotundata mutica, in dorso subconvexa; tota omnino lævia, in fundo nigra, pube vero brevissima flavo-virescente tecta, maculisque fulvis variegata, scilicet: sub scutello macula parva triangularis communis; macula oblonga ab humero oblique ad suturam ducta, alteraque in medio elytri transversa dentata, & inter has puncta unum l. duo orbicularia marginalia, omnia lutea nigro flavoque cincta; pone medium maculæ nonnullæ oblongæ flavo-albidæ. Corpus subtus nigrum, pectore sternoque luteo maculatis; segmenta ventralia ad latera flavo-marginata cum puncto confluenti. Pedes breviusculi nigri, pube pallide-virescente obducti, femoribus crassiusculis compressis. DALM.

224) LAMIA JACULUS: depressa grisea, thorace submutico, elytris planis griseo-albidis, fascia postica inæquali nigra, pedibus posticis longissimis.

Habitat in Isle de France. Mus. Dom. Doct. *Hollberg*.

Magnitudo & facies *L. atomariæ* Fabr. sed magis depressa, albidior, & posterius magis angustata. Caput breve fuscum, pube tenui depressa cinerea omnino tectum, fronte canaliculata; os piceum, labro apice testaceo; oculi sinuati, difformes, brunnei. Antennæ corpore duplo longiores, setaceæ, extrorsum tenues, articulo primo magno crasso fusco-brunneo; secundo brevissimo nodoso nigricante, sequentibus elongatis cylindricis fusco-testaceis, apice paullo crassioribus nigris. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-dilatatus, versus basin tuberculo parvo utrinque armatus, & dein cito coarctatus, supra in disco antico modice convexus, inæqualis, versus latera & præsertim postice depressus, pube densa tenui decumbente, anterius fusco-cinerea, ad latera & posterius albidiore tectus, punctis profundis nigricantibus inæqualiter adspersus. Scutellum triangulare fuscum pubescens. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris rectangulis, thorace quintuplo longiora, posterius valde attenuata, apice sat profunde emarginata, fere bidentata, supra antice juxta scutellum nonnihil convexa, cæterum dorso omnino plana, quæ planities utrinque costa elevata cingitur, & extra illam margo perpendiculariter deflexus; fusco-brunnea, pube subtilissima depressa, antice & lateribus griseo-fusca, reliquo dorso albida tecta; pone medium fascia nigra, a margine versus suturam nonnihil retrorsum obliqua, interius angustior, suturam vix tangens, utrinque sinuato-erosa, & præterea maculæ parvæ fuscæ, ut & puncta profunde impressa nigricantia, absque ordine sparsa. Corpus subtus brunneum, pube subtili depressa grisea tectum. Pedes elongati validi. femoribus cinereo-pubescentibus, annulo fusco versus apicem cinctis; tibiis tarsisque basi fusco-testaceis, apice nigricantibus: femora quatuor anteriora crassa clavata; pedes postici toto corpore fere duplo longiores, femoribus parum clavatis. GYLLENH.

225) LAMIA BALTEATA. *Cerambyx id. Fabr.*

VAR. β. Tota ferruginea, antennis pedibusque pallide testaceis.

Cerambyx lusitanicus. Linn. Oliv.

Habitat etiam in Suecia; prope Holmiam, *Schönherr.* Ad Esperöd Scaniæ. Dom. *Fallén.*

Simillima α modo pallidior, jam dilutius, jam saturatius ferruginea, pedibus pallide testaceis immacu-

latis. In medio elytrorum fascia undulata e pube cinereo-albida, et apex elytrorum late albido-pubescens. Certe modo junior, immatura. GYLLENH.

226) LAMIA MODESTA: sub depressa nigra, griseo pubescens, thorace utrinque uni-spinoso, supra bituberculato, elytris apice oblique truncatis, litura media nigra dentata.

Habitat in Finlandia. Mus. *Schönherr*.

Statura latiuscula fere *L. atomariæ Fabr.* sed paullo minor. Caput nigrum, griseo pubescens, fronte granulata, vertice leviter impresso; oculi difformes brunnei. Antennæ corpore longiores, piceæ, griseo-pubescentes, articulis apice fuscis. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, in medio laterali utrinque spina valida acuta armatus, supra modice convexus, niger, sat crebre punctatus, griseo-pubescens; in disco, paullo ante medium, tuberculum validum elevatum utrinque. Scutellum sub-triangulare obtusum nigrum, griseo-pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis rotundatis, thorace quintuplo longiora, apicem versus paullo angustiora, apice ipso introrsum oblique truncata, supra parum convexa, inæqualia, nigro-picea, hinc inde sub-seriatim punctata, pube densa depressa grisea tecta, relicta in singuli elytri disco paullo pone medium plaga sinuata dentata fusco-picea denudata, nec suturam nec marginem attingente. Thorax & pectus subtus nigro-picea, obsolete punctata, griseo-pubescentia; abdomen dilutius rufo-testaceum nitidum, vix punctulatum, parum pubescens. Pedes longiusculi validi ferruginei vel rufo-picei, griseo-pubescentes, femoribus crasse clavatis, tibiis annulo griseo-pubescente cinctis.

GYLLENH.

227) LAMIA TRANSVERSA: brevis fusca, albido-pubescens, thorace elytrisque multi-tuberculatis, elytris postice crista transversa elevata, apice integris, antennis crebre fusco-variegatis.

Habitat in America boreali. Dom. *Megerle*, qui etiam nomen proposuit. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Statura, affinitas & fere magnitudo *L. præmorsæ Fabr.* sed elytra apice sub-truncata, integra, & color magis albidus, &c. Caput nigro-fuscum, pube cinereo-albida adspersum, punctisque villosis fuscis irroratum,

fronte inter antennas profunde impressa; oculi sinuati brunnei. Antennæ corpore longiores setaceæ, cinereo-pubescentes, punctis annulisque fuscis confertim variegatæ. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, lateribus utrinque tuberculo parvo obtuso armatus, supra modice convexus, nigro-fuscus, pube densa depressa griseo-albida tectus; in medio antico carinula angusta elevata nigra, vix medium disci attingens, cui utrinque adjacet lineola pilosa fusca, adhuc brevior; in medio baseos ante scutellum tuberculum oblongum, alte elevatum, e carinula media quasi continuatum, & in eadem linea transversa cum illo & tuberculo laterali, tuberculum aliud utrinque, magis obtusum, albido-pilosum, postice lineola parva fusco-pilosa auctum. Scutellum semi-orbiculatum, fusco-pubescens, parum cinereo variegatum. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris elevatis rotundatis, thorace quadruplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso obtusa, sub-truncata, supra in dorso antico fere plana, pube densa cinereo albida vestita, tuberculis plurimis reclinatis, densius albido-villosis, adspersa; planities dorsalis jam memorata terminatur crista elevata transversa sub-dentata; pone cristam elytra declivia, ut & latera deflexa, pube depressa fusca vestita & similiter tuberculata. Corpus subtus nigrum, parcius cinereo-pubescens, fusco-punctatum. Pedes validi nigri, femoribus crasse clavatis cinereo-pubescentibus, fusco-punctatis, tibiis fusco- cinereoque annulatis.

GYLLENH.

228) LAMIA NUBIFER: nigro-picea opaca, dense umbrino-pubescens, thorace inæquali utrinque unispinoso, elytris fasciis duabus cinereis obliquis divergentibus obsoletis, antennis longis.

Habitat in Sierra Leona Africæ, Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Statura *L. Sutoris*, sed paullo major, latior, opaca, dense fusco-pubescens. Caput magnum nigrum, parce punctulatum, pube densa depressa umbrino-pallescente tectum; vertex anguste canaliculatus; oculi brunnei. Antennæ maris corpore duplo, feminæ parum longiores, piceæ vel nigro-brunneæ, pubescentes & sub-pilosæ. Thorax longitudine parum latior, basi apiceque truncatus, marginatus, in medio laterali spina valida acuminata armatus, supra valde inæqualis, intra basin

& apicem transversim impressus & veluti constrictus, punctis paucis majoribus sparsis perforatus, totus niger, pube simili uti caput obductus. Scutellum breve semi-rotundatum, dense flavescenti-pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris fere rectangulis, thorace quintuplo longiora, apicem versus parum angustiora, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, sub-æqualia, basi subtuberculata, dein profundius & in disco sub-seriatim, versus apicem sensim subtilius punctata; tota nigro-picea, pube densa depressa, fusca seu umbrina tecta; ab humero versus medium suturæ fascia cinerascens obliqua inæqualis obsoleta, & alia magis irregularis, pone medium suturæ inchoata, retrorsum versus marginem flexa. Corpus subtus piceum, vix punctulatum, pube densa depressa pallide umbrina tectum. Pedes mediocres picei, pube densa pallide umbrina tecti, femoribus parum incrassatis, tibiis secundi paris externe fasciculo densius piloso notatis. GYLLENH.

229) LAMIA DENTIPES: nigra opaca, dense umbrino-pubescens, thorace inæquali uni-spinoso, elytris glauco-irroratis, tibiis mediis externe unidentatis, corpore fusco-punctato.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Præcedenti similis & affinis, sed paullo minor, *L. Sutori* æqualis, elytris irregulariter glauco-irroratis, corpore femoribusque fusco-punctatis, &c. distinctus. Caput magnum nigrum, parce punctatum, pube densa depressa cinerea tectum, fronte verticeque anguste canaliculatis; oculi brunnei. Antennæ maris corpore dimidio, feminæ parum longiores, basi nigræ, extrorsum brunneæ, tenue pubescentes, articulo primo crasso subcylindrico, rude punctato. Thorax quoad structuram, spinas, impressiones, pubescentiam, omnino ut in præcedenti descriptus, modo paullo fortius & crebrius punctatus. Scutellum ut in priori omnino. Elytra etiam quoad formam, puncturam & pubescentiam fuscam ut in præcedenti, sed absque fasciis, modo lituris irregularibus sparsis, pone medium crebrioribus, e pube glauco-cinerea irroratis. Corpus subtus nigrum, vix perforato-punctatum, pube densa depressa pallide cinerea tectum, punctis crebris denudatis nigris adspersum. Pedes mediocres nigro-picei, dense cinereo-pubescentes,

femoribus modice crassis, confertim nigro-punctatis; tibiæ secundi paris externe infra medium incisæ, vel dente parum exserto, piloso, armatæ.

GYLLENH.

230) LAMIA RUBRA: supra rubra, thoracis spinosi vitta, elytrorum punctis, antennis corporeque subtus nigris.

Hab. in India orient. Dom. *Gröndal.* Mus. *Schönh.*

Magnitudo & statura *L. bicinctæ.* Corpus totum supra tectum investimento pulverulento rubro vel rubro cinnamomeo, hinc & inde maculis punctisque atris adspersum, ut infra accuratius indicandum. Antennæ corpore longiores, nigræ, articulo primo magno crasso rubro, apice nigro. Caput rufum immaculatum, ore oculisque tantummodo nigris frons deflexa, subquadrata, plana, ad insertionem utriusque antennæ in tuberculum elevata, interjacente sulco profundo; lineaque verticali angusta impressa. Thorax elytris multo angustior, longitudine latitudini æquata, parum convexus, dorso subdepressus, utrinque spina valida armatus, in disco tuberculis obsoletioribus inæqualis; totus supra ruber, relicta vitta media, antice & postice attenuata, denudata, nigra, bituberculata; subtus ruber, macula utrinque laterali apicibusque spinarum nigris. Scutellum parvum basi deflexum, rufescens. Elytra thorace multo latiora, illoque quadruplo longiora; basi truncata, humeris elevatis, versus apicem sensim & modice angustiora, apice rotundata, convexa, pone medium sensim declivia, tota rubra, punctis vel maculis rotundatis atris hinc & inde absque ullo ordine sparsis; in fundo punctata & quidem punctato-striata videntur, lineaque intramarginali angusta impressa; etsi impressiones illæ ob investimentum densum difficilius apparent. Corpus subtus nigrum, investimento albido, sericeo-submicante obductum, utrinque serie macularum rufescentium, in pectore abdominisque basi majorum, versus anum minorum obsoletiorum ornatum. Pedes breves, validi, femoribus anterioribus investimento eodem rubro ac corpus, obductis, posticis tibiisque omnibus tarsisque nigris. DALM.

231) LAMIA BIPUNCTATA: fusco brunnea; thorace mutico, scutello punctisque capitis albidis; elytrorum macula nigra denudata; antennis longis.

Habitat — — — Mus. *Schönherr.*

Magnitudo *L. Sutoris*, sed thorace longiore quam in congeneribus. Caput punctulatum nigrum, maculis punctisque pallide-testaceis; sulcus longitudinalis e vertice ad medium frontis ductus. Labrum & mandibularum latera testacea. Antennæ corpore multo longiores, fusco-testaceæ. Thorax latitudine longior, subcylindricus, basi apiceque truncatus, lateribus in medio rotundatus, utrinque tuberculo minuto armatus; supra rugulosus, antice linea transversa impressa, postice duabus; totus fusco-brunneus, pube luride-testacea inductus. Scutellum semiorbiculare, pallide testaceum. Elytra ad basin truncata, thorace multo latiora illoque plus duplo longiora; angulis humeralibus rotundatis; posterius angustata, apice oblique truncata angulo exteriore subrecto mutico, suturali rotundato; supra parum convexa, punctulata, basi granulosa, tota dilute fusco-brunnea, pube pallidius testacea irrorata; in medio singuli elytri macula parva denudata nigra nitida. Corpus subtus fusco-brunneum, pube brevi pallidiore obductum; pedes concolores, antici nonnihil elongati, dente parvo ante apicem tibiarum armati.

Dalm.

232) Lamia myops: mutica fusco-grisea atropunctata & pube lutescenti nebulosa; thorace maculis atris subocellaribus, oblongis, elytris cœcis.

Habitat in Finlandia. Mus. *Schönherr.*

Statura omnino & summa affinitas *L. curculionoïdis*, sed paullo minor & vere distincta videtur. Differt præsertim ocellis thoracis magis remotis, haud orbiculatis potius oblongis, elytris omnino cœcis, punctis plurimis atris conspersis, quæ in *L. curculionoïde* vix detegenda, magisque lutescenti-nebulosis &c.

Caput deflexum fronte plana, griseum, pube lutescenti variegatum, unde oriuntur puncta 4 inter antennas maculæque duo verticis distinctiora. Antennæ corpore longiores, subtus ciliatæ, articulo primo magno fusco, reliquis rufescentibus apice obscuris, (omnino ut in *L. curculionoide*) Thorax transversus antice posticeque truncatus, lateribus paullo calloso-rotundatis, dorso depressus, scabrosus, fusco-griseus, maculis 4 atris remotis; anteriores lineares, lineolis parallelis lutescenti-pubescentibus cinctæ, posteriores breviores utrinque maculis lutescentibus circumdatæ; maculæ pubescentes

præterea hinc et inde sparsæ præsertim ad latera. Scutellum minutum testaceo-pubescens. Elytra thorace multo latiora, latitudine haud duplo longiora, basi truncata humeris sub-prominulis, apice rotundata, dorso depressa; fusco-grisea, pubescentia, punctis atris dispersis, nebulisque irregularibus e pube longiore lutescente variegata; anterius granulata, posterius punctata. Corpus subtus fusco-griseum, maculis lutescentibus adspersum; pedes breves validi, corpore concolores.

Specimina duo similia consului. DALM.

233) LAMIA VERMICULARIS: nigra, lineolis albis flexuosis irrorata: thorace rugoso utrinque bituberculato, ventre maculis duabus villosis lutescentibus; antennis brevibus annulatis.

Habitat in Nova Hollandia, a Dom. *Hooker* communicata nomine *L. vermicularis Donovan*. Mus. *Schönh.*

Magnitudo *L. Textoris*. Antennæ corpore breviores nigræ, articulis basi albidis. Caput nigrum, fronte æquali lineolis albidis variegata, ore albo-piloso. Thorax latitudine paullo brevior, antice posticeque truncatus, lateribus parum rotundatus, obsoletius bituberculatus, dorso subdepressus, totus rude rugosus niger, pube tenuissima albida parcius adspersus. Scutellum subcordatum nigrum læve, litura albida. Elytra thorace multo latiora illoque triplo longiora, humeris prominulis callosis, lateribus subrectis marginatis, apice rotundata subtruncata, supra modice convexa, nigra opaca, ubique rivulis lineolisque flexuosis albo-pubescentibus, vermicularibus, egregie variegata. In medio singuli elytri lineæ duæ longitudinales elevatæ, nitidiores, ante apicem evanescentes. elytra ipsa ad basin et versus marginem rugosa et punctata, versus suturam posticeque lævia. Corpus subtus nigrum rivulis albis variegatum; in segmento secundo abdominis utrinque macula maxima dense at breviter lutescenti-villosa. Pedes breves validi, mutici, corpori concolores.

DALM.

234) LAMIA RUGICOLLIS: obscure umbrino-lutescens, thorace mutico transversim plicato, elytris concinne albo-punctatis, apice truncatis.

Hab. in Nova Hollandia, Dom. *Hooker*. A Dom. *Schneider* quoque missa, nomine *L. gutturalis*. — Mus. *Schönherr*.

Magnitudo *L. bicinctæ*, sed statura & facies fere *Saperd. Carcharias*. Antennæ longitudine corporis, articulo primo rubro, reliquis nigris albo-irroratis, subtus distinctius ciliatis. Caput æquale nigrum, pube brevissima lutescente obductum, linea longitudinali verticis denudata; in margine oculorum puncta nonnulla depressa. Thorax longitudine paullo latior, basi apiceque truncatus lateribus subrectis muticis, transversim plicatus, niger, pube brevi brunneo-lutescenti tectum. Scutellum subtriangulare depressum thoraci concolor. Elytra basi truncata, thorace fere duplo latiora illoque triplo longiora humeris prominulis callosis, apice lato truncata, brunneo-lutescentia l. sub-olivacea, undique guttulis punctisve albis basi atris conspersa, brevissime pubescentia, antice granulosa et punctata, posterius lævigata. Corpus subtus obscurum, luteo-pubescens et parcius albido-irroratum. Pedes breves validi, mutici, rufo-brunnei, testaceo-pubescentes. DALM.

235) LAMIA BELLA: læte sulphurea nigro-maculata, antennarum basi, corpore subtus, pedibus fasciisque duabus irregularibus elytrorum, luteo-rubris.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. Dom. *Gyllenh.* & *Schönherr*.

Species elegans statura fere *L. curculionoïdes*, sed minor & convexior. Antennæ tenuissimæ corpore multo longiores, basi luteo-rubræ, pone medium nigræ. Caput breve læte virescenti-albidum, subsulphureum, maculis frontis 5 cruciatim positis, lineolaque verticali, fusco-brunneis. Palpi lutei; mandibulæ apice nigræ. Thorax longitudine dimidio fere latior, basi apiceque truncatus, convexus, lineolis duabus transversis constrictus, colore capitis, lineolis dorsi tribus, punctisque lateralibus utrinque duobus, nigro-brunneis. Scutellum subcordatum lutescens macula sulphurea. Elytra thorace multo latiora, latitudine duplo longiora, basi truncata, humeris parum prominulis, apice sub-acuminata, lævia læte-sulphurea variegata; nempe: macula parva communis triangularis scutellum amplectens, fascia sinuata ferruginea ab humero versus suturam ducta, deinde puncta majuscula quatuor nigra, quorum tres prope marginem quartum in disco locata; in medio elytri fascia flexuosa luteo-rubra in suturam adscendens, ad marginem brunneo tincta; deinde iterum maculæ tres parvæ nigræ marginales, ultima apicali.

Corpus subtus luteo-ferrugineum margine laterali pectoris sulphureo. Pedes breves validi, simplices, mutici, corpore concolores. Alæ basi lutescentes, apice nigræ.

Corpus totum tectum tomento e pube brevissima densissimaque, et omnino depressa, ut oculo nudo subpulverulentum videatur. DALM.

236) LAMIA AMOENA: thorace albo lineis 4 nigris, elytris, pedibus corporeque subtus ferrugineis, illis albo-maculatis apice litura fusca.

Habitat in Sierra Leona. D. Prof. *Afzelius* Mus. *Schönh.*

Magnitudo et facies *L. bellæ*, tomento simili obducta. Caput læve album, lineis frontalibus tribus fusco-brunneis; palpi lutei, mandibulæ nigræ. Antennæ tenuissimæ nigræ, l. sub-brunnescentes. Thorax æque longus ac latus, sub-cylindricus lineolis duabus impressis constrictus, sulphureo-albidus, lineis quatuor longitudinalibus nigro-brunneis, æquali spatio remotis. Scutellum subcordatum, rufo-testaceum. Elytra thorace multo latiora, apice acutiuscula, ferruginea, maculis sulphureo-albidis variegata; nempe: in summa basi macula minuta, pone humerum alia orbicularis, ad scutellum macula communis major, et altera difformis utrinque in medio; posteriorem partem occupat macula magna albidior, ad suturam sæpe cum macula discoidali confluens, et inscripta litura nigro-brunnea determinata, litteram L vel C referente; ipse apex elytrorum obscure ferrugineus. Corpus subtus luteo-ferrugineum, lateribus albidis. Pedes breves mutici lutei. Alæ basi lutescentes apice nigræ.

DALM.

237) LAMIA PULCHELLA; brunnea, elytrorum maculis 17 albis, thorace albo vittis tribus obscuris, antennis longis tenuissimis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo & statura omnino præcedentium. Antennæ tenuissimæ nigræ, feminæ corpore fere duplo, maris triplo longiores. Caput brunneum albo-notatum; (nempe: macula magna inter oculos, lineola transversa supra os, macula utrinque sub oculo, puncta duo pone illum, et alia duo in vertice, omnia alba.) Palpi lu-

tei; mandibulæ apice nigræ. Thorax longitudine paullo latior, statura ut in præcedentibus, lævis, brunneus, maculis utrinque duabus maximis albidis, altera dorsali altera pectorali, relictis non nisi vitta dorsali antice dilatata, et linea laterali latiore, obscure-brunneis. Scutellum semiovatum obscure-ferrugineum. Elytra quoad formam ut in præcedentibus, lævia, parcius punctulata, brunneo-ferruginea, maculis distinctis albis notata, nempe: sub scutello macula communis elongata, in ipsa basi singuli elytri macula major rotundata, punctum unum sub humero et duo pone illum: in medio macula major orbicularis, deinde iterum punctorum par aliudque intra apicem omnia flavo-albida, nec suturam nec marginem attingentia. Corpus subtus brunneo-ferrugineum, lateribus pectoris albidis. Pedes breves ferruginei, tarsis fuscis.

DALM.

238) LAMIA TROGLODYTA: fusco-cinerea, antennis longis pedibusque ferrugineis, thorace mutico elytris confertim punctatis, ocello albido, ventre sericeo-pubescente.

Habitat in India Orientali. Dom. *Kymell.* Mus. *Gyllenh.*

Parva, *L. balteata* parum longior et vix latior. Caput crassum fusco-ferrugineum, obsolete punctatum, pube subtilissima depressa cinereo-pallescente tectum, mandibulis oculisque nigro-brunneis. Antennæ corpore duplo longiores, ferrugineæ, subtiliter cinereo-pubescentes. Thorax transversus muticus, nigro-piceus, squamulis minutissimis cinereo-ochraceis tectus, punctis inæqualibus, lineisque duabus irregularibus approximatis brunneis notatus, juxta ipsam basin sat profunde constrictus. Scutellum parvum semi-rotundatum, fusco-squamulosum. Elytra thoracis basi latiora, humeris prominulis, et illo fere quintuplo longiora, apice oblique truncata, supra convexa, sub-cylindrica, fusco-brunnea, confertim punctata, punctis plerisque subocellatis; squamulis minutissimis fusco-cinereis tecta, guttulisque albo-squamulosis, præsertim juxta suturam irrorata; in medio baseos singuli elytri macula flavescenti-squamulosa, & paullo pone medium alia alba, posterius macula denudata brunnea quasi pupillata. Pectus brunneum punctatum, cinereo-pubescens; abdomen fuscum impunctatum, pube densa griseo-sericea

nitida vestitum. Pedes validi ferruginei, tenue griseo-pubescentes, tarsis apice obscurioribus.

GYLLENH.

239) LAMIA LYNX: subcylindrica alba, nigro-punctata, plaga dorsali denudata nigra; thorace inæquali mutico, elytris thorace vix latioribus apice emarginatis, antennis brevibus.

Habitat in India orientali. Dom. *Gröndal*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo & fere statura *Clyti liciati*, facie ab hoc genere aliena. Antennæ corpore breviores 11 articulatæ, primo albo, reliquis nigris annulo basali punctisque sparsis, albo-pubescentibus. Caput æquum pube longiori densaque alba tectum, oculis, ore, punctisque hinc inde denudatis, nigris. Thorax antice angustior truncatus, posterius sensim dilatatus, basi subsiniatus, totus tuberculoso-inæqualis & punctatus, pube depressa alba ut in capite tectus, punctis lateralibus plagaque dorsali denudatis nigris. Scutellum breve transversum nigrum. Elytra thorace parum latiora illoque triplo longiora, convexa, apice modice angustata emarginata, tota alba nigro-punctata, punctis impressis versus latera confluentibus; in dorso plaga magna suturalis denudata nigra, posterius evanescens, relictis hinc & inde guttulis albis. Corpus subtus dense albo-pilosum punctis atris variegatum, ano in nostro specimine profunde emarginato. Pedes validi breves, mutici, corpori concolores.

DALM.

240) LAMIA (DORCADION) MUCIDA: nigra pube brevissima cinerea tecta, annulis antennarum vittisque elytrorum fuscis.

Habitat ad Algier. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo et fere statura *L. morionis*, thorace tamen quam in illa longiore, & elytris absque plica humerali. Corpus totum investimento e pube brevissima cinereo-albida obductum, hinc & inde punctis vittisque fuscis adspersum. Antennæ dimidio corpore paullo longiores, articulis basi albidis apice fuscis. Caput statura ut in affinibus punctatum. Thorax basi apiceque truncatus, utrinque spina valida armatus, dorso subdepressus, punctatus, cinereus. Scutellum nigrum albo-ciliatum. Elytra marginata basi truncata,

humeris rotundatis nec prominulis nec plicatis, circa medium parum latiora, apice rotundata, dorso convexa; tota cinereo-pubescentia, vittis 2 l. 3 angustis fuscis vix determinatis, punctisque sparsis fuscis; in fundo irregulariter punctata. Corpus subtus investimento cinereo tectum, immaculatum, pedibus concoloribus, tibiis apice latioribus ut in affinibus.

DALM.

241) LAMIA (DORCADION) SPINOLÆ: atra nitida immaculata, vertice thoraceque rugosis, elytris punctatis sub-coriaceis.

Habitat in Hispania, a Dom. *Dejean* benevole communicata, nomine *Lam. nigra*. Mus. *Schönherr*.

Statura parva crassa *Lam. fuliginatoris*, tota aterrima glabra immaculata; a *Lam. morione* omnino distincta. Antennæ dimidio corporis parum longiores, nigræ, versus apicem certo citu fusco-cinereæ. Caput cum ore atrum, nitidum, fronte rude-punctata, vertice punctato rugoso vix impresso. Thorax basi apiceque truncatus, utrinque spina valida sed non acuta armatus, supra convexus, punctis rudis confluentibus rugosus. Scutellum semicirculare, sub-impressum, nigrum, parum pubescens. Elytra marginata, basi truncata humeris parum prominulis rotundatis, convexa, apice singulatim rotundata, sub-coriacea, ad basin profunde versus apicem subtiliter punctata. Corpus subtus atrum, nitidum, subtilissime punctulatum, vix pubescens, pedibus concoloribus. DALM.

Mente venerabunda Illustrissimum Dom. *Maximilianum Spinolam*, auctorem celeberrimum "Insectorum Liguriæ", colens hocce Insectum, nomine speciali *Spinolæ*, designare voluit SCHÖNHERR.

242) LAMIA (DORCADION) SCABRICOLLIS: elytris atro-holosericeis, sutura margine striaque albis; thorace rude punctato-rugoso; antennarum basi pedibusque rufis.

Habitat in Georgia Asiæ. Dom. *Steven*. Mus. *Schönherr*.

Statura magnitudo & summa similitudo *Lam. rufipedis* & *striatæ*, sed ab utraque distincta punctis thoracis multo majoribus, profundioribus & confluentibus, unde rugosum & inæquale evadit. Antennæ longitudine dimidii corporis, nigræ, articulo basali rubro,

Elytra tecta tomento brevissimo atro-sericeo, sutura margineque albis; ad costam lateralem stria longitudinalis intus alba, extus cervina, & intra illam & scutellum punctum basale albidum. Corpus subtus nigrum, pube albo-sericea vestitum. Pedes rubri albido-pubescentes. DALM.

243) LAMIA (DORCADION) STRIATA: nigra, elytris cinereo-fuscis, sutura, margine, lineaque albis, vittisque atris; antennis & pedibus nigris.

Habitat in Caucaso. Dom. *Steven*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo statura & summa affinitas *Lam. rufipedis*; forma & proportio partium omnino ut in illa, modo thorax paullo convexior videatur. Antennæ nigræ immaculatæ. Caput & thorax nigra, punctata, investimento fusco l. fusco-cinerascente obducta, lineola media longitudinali alba. Scutellum semi-ovale nigrum, pube alba aut tectum, aut saltem ciliatum. Elytra quoad formam costesque ut in *L. rufipede*, nigra, tecta investimento e pube brevissima depressa fusco-cinerascente; sutura tota, ipse margo, & stria juxta costam lateralem, albæ; intra suturam & costam vittæ duæ l. tres atro-sericeæ, exteriores abbreviatæ, suturalis integra. Corpus subtus nigrum, parcius albido-pubescens, pedibus concoloribus.

DALM.

244) LAMIA (DORCADION) CRUX: atra, capite thoraceque albo-lineatis; elytris holosericeis, sutura vittaque interrupta albidis; antennis pedibusque obscure castaneis.

Habitat — — — Mus. *Schönherr*.

Statura *L. lineatæ* & fere magnitudine ejus; cruce holosericea elytrorum, vitta lactea interrupta, bene distincta. Antennæ dimidio corporis vix longiores: articulo primo crasso obconico, secundo parvo subrotundato, 3-7 obconicis ad apicem dilatatis, ceterisque cylindraceis, angulis externis acute prominentibus, obscure castaneis, brevi pube albida. Caput punctatum, atrum, pube albida, macula verticali holosericea, linea longitudinali impressa alba, inter oculos latiore. Thorax scabro-punctatus, dorso depresso canaliculato, & spina utrinque valida acuta, niger, supra holosericeus linea dorsali alba, subtus albo-sericeus. Scutellum parvum holosericeum, albo-lineatum. Elytra thorace plus tri-

plo longiora convexa, lateribus ad medium sensim latioribus, extus marginata, lineis longitudinalibus duabus elevatis; holosericea sutura alba vittaque medio dilatata & interrupta lactea, margine albo-sericea. Sternum & abdomen albo-sericea. Pedes obscure castacei, pube brevi albida. BILLB.

245) LAMIA (DORCADION) PUBESCENS: nigro-fusca, corpore artubusque pallido pilosis; thorace rude-punctato submutico, elytris albido nebulosis.

Habitat ad Algier. Mus. *Schönherr*.

Parva in hac familia, vix magnitudine *Curcul. incani*, & brevior; pilositate tenui erecta totius corporis valde distincta. Antennæ corpore paullo breviores, fusco-rufescentes, tenue pilosæ. Caput nigrum rugoso-punctatum, vertice vix impresso, parce pilosum, palpis ferrugineis. Thorax basi apiceque truncatus, in medio perparum dilatatus, utrinque tuberculo minuto armatus, convexus, rude punctatus, nigro-fuscus. Scutellum minutum triangulare nigrum. Elytra ovalia, ad basin thorace vix latiora, humeris apiceque rotundatis, convexa, evidenter sed irregulariter punctata, fusca, subnitida, pube brevissima cinereo-fusca fallaci obducta, nebulisque obsoletis albidis indeterminatis irrorata. Corpus subtus nigro-fuscum, parce pubescens; pedes breves fusco-picei, pallide pubescentes pilosique, tibiis ad apicem breviter pallido-tomentosis.

DALM.

TRACHYDERES.

246) TRACHYDERES HIRTICORNIS: subdepressus niger, thoracis lineis lateralibus, elytrorum fascia femorumque basi rufo-testaceis, thorace 6 spinoso, antennis inferne hirtis.

Habitat in Brasilia. Dom. *Kreuger*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo fere *Tr. rufipedis*, sed magis depressus. Caput porrectum rotundatum nigrum, obsolete punctatum, pube tenui helvola adspersum; mandibulæ latæ, compressæ, ferrugineæ, apice nigræ; oculi lunati brunnei. Antennæ corpore duplo longiores, nigræ, articulo primo magno clavato, secundo brevissimo, 3-6 longis cylindricis, exterioribus sensim angustioribus, his omnibus subtus lana longa atra hirtis, reliquis sub-nudis. Thorax transversus, antice angustior, truncatus, & intra apicem constrictus, basi sinuatus lateribus u-

trinque spinis duabus validis armatus, anteriore minore; supra in medio dorsi fere planus, niger, sub-pubescens, punctatus, cum carinula tenui pallescente; planities dorsalis utrinque cingitur callo elevato arcuato lævi rufo-testaceo, versus posteriori spina valida erecta concolore armato; infra callum linea longitudinalis nigra, dein linea marginalis & ejus spinæ flavo-testaceæ; subtus niger, linea flexuosa testacea utrinque. Scutellum triangulare nigrum punctatum pubescens. Elytra thorace multo latiora, humeris prominulis, & illo plus triplo longiora, apice rotundata; supra in dorso plaga longitudinalis plana vel fere impressa, anterius latior, quæ utrinque cingitur costa arcuata, valde elevata, apicem non attingente, & infra illam costa alia obsoletior, ab humero exiens; color baseos elytrorum niger, costa elevatiore, ad basin usque testacea, interruptus, & margine laterali ad humerum itidem testaceo circumscriptus; dein fascia lata, ultra medium extensa, utrinque sinuato-flexuosa, flavo testacea; posterior pars elytrorum niger immaculatus; superficies undique obsolete punctulata, pube tenui, fundo concolore, adspersa. Pectus & abdomen nigra sub-nitida, parce punctulata & pubescentia. Pedes elongati nigri, pubescentes, femoribus angustis, linearibus, interne flavo-testaceis. GYLLENH.

Dom. *Joh. Henr. Kreuger*, Præf. rer. Nautic. milit. Eqv. Aur. Ord. Reg. Ensif. Svec. & Reg. Boruss. pour Merit. Milit. Insecta plurima prætiosa Brasiliæ collegit, & amicissime communicavit, quare gratias quam maximas jam publice offert SCHÖNHERR.

147) TRACHYDERES SIGNATUS: supra niger glaber, capite, thorace scutelloque maculis longitudinalibus, elytris lituris *flexuosis* rufo-testaceis, antennis pedibusque rufo-fasciatis.

Habitat in Brasilia. Dom. *Kreuger*. Mus. *Schönh.*

Parvus in hac Familia, *Tr. rufipedi* fere triplo minor. Caput porrectum, ante oculos rufo-testaceum, punctatum, posterius nigrum, inter antennas rugosum, linea longitudinali verticis rufo-testacea; mandibulæ apice nigræ; labrum pallido-pilosum; oculi lunati brunnei. Antennæ corpore longiores, articulis tribus primis totis nigris; tribus insequentibus juxta basin fascia lata rufescente cinctis, reliquis fusco-piceis. Thorax

latitudine fere longior, antice truncatus, basi valde sinuatus, lateribus ante medium tuberculo parvo nigro, posterius spina longiore rufescente, armatus, supra valde inæqualis, anterius profunde retusus, postice transversim constrictus, versus medium dorsi utrinque tuberculo magno elevato notatus, niger nitidus glaber; ante basin & apicem macula semi-ovata, & in medio disci tertia, utrinque acuminata, omnes rufo-testaceæ; lateribus & subtus rufo-testaceus, lituris duabus nigris utrinque. Scutellum valde elongatum, subulatum, nigrum, læve, linea longitudinali angusta rufo-testacea. Elytra thorace parum latiora & triplo longiora, apice sub-emarginata, supra convexa, nigra nitida lævia; ante medium fascia arcuata rufo-testacea, utrinque dentata, marginem lateralem vix attingens, sed interne suturam anteriorem occupans, in regione scutelli amplificata, dein circum basin & marginem lateralem elytri ultra medium continuata, tum intra apicem iterum arcuatim retro-flexa, versus medium, prope suturam tandem desinens. Pectus & abdomen rufo-testacea, piceo-variegata, pilis parvis cinereis adspersa. Pedes elongati, femoribus crasse clavatis externe nigris, basi tenuibus rufo-testaceis; tibiæ nigræ, annulo medio rufo-testaceo; tarsi dilatati ferruginei, subtus dense spongiosi. GYLLENH.

STENOCHORUS.

248) STENOCHORUS SIMPLEX: fusco-testaceus, cinereo-pubescens, thorace mutico, lateribus dense pallido-villoso, elytris apice integris, antennis pedibusque rufis, femoribus clavatis.

Habitat in India Orientali, Java. Dom. *Gröndal* & *Kymell*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Magnitudo variat; jam *Saperda Populnea* æqualis, jam duplo major. Caput porrectum fusco-testaceum, confertim rugoso-punctatum, dense pallido-pubescens, mandibulis arcuatis piceis; oculi brunnei, valde lunati, parum prominuli. Antennæ interdum corpore duplo, in aliis parum longiores, rufo-testaceæ, longius pilosæ. Thorax latitudine medii paullo longior, apice truncatus, basi bi-sinuatus, lateribus rotundatus, supra convexus, sub-globosus, fusco-testaceus, rude punctatus, in medio pilis cinereis parce adspersus, versus latera densius pallido-pubescens, punctis fuscis trans-lucentibus. Scutellum parvum semi-ovale, dense palli-

do-pubescens. Elytra thorace latiora, humeris rectangulis, & illo quintuplo longiora, apice rotundata integra, supra convexa, ruso-ferruginea, anterius granulata, posterius sensim subtilius punctata, pilis longioribus depressis cinereo-albidis adspersa. Corpus subtus saturatius fusco-testaceum, obsolete punctulatum, densius cinereo-pubescens. Pedes mediocres dilutius rufo-testacei, pubescentes & pilosi, femoribus crassis clavatis, præsertim anticis.

GYLLENH.

249) STENOCHORUS STRIGOSUS: nigro-fuscus opacus, cinereo-pubescens, thorace rotundato confertissime ruguloso, elytris punctatissimis, striis numerosis elevatis, apice uni-spinosis.

VAR. β, triplo minor, antennis pedibusque ferrugineis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Statura lineari-elongata, facies & fere magnitudo *Callidii rustici* mediocris. Caput porrectum nigro-piceum opacum, confertissime punctulatum, fronte inter antennas tenue canaliculata; oculi valde lunati brunnei, modice prominuli. Antennæ vix corpore longiores, fusco-piceæ, subtus longius pilosæ. Thorax suborbiculatus, antice truncatus, basi bi-sinuatus, lobo medio magno rotundato; supra sub-depressus, totus fusco-piceus opacus, confertissime subtiliter rugulosus, tenue griseo-pubescens. Scutellum depressum semiovatum fusco-piceum sub-læve. Elytra thoracis medio non latiora, humeris rotundatis, & illo sextuplo longiora, sub-linearia, apice uni-spinosa, dehiscentia, supra parum convexa, fusco-picea opaca, confertissime subtiliter punctulata, pilis minutis griseis parce adspersa; in singulo elytro lineæ vel costæ tres altius elevatæ, quartaque brevissima obliqua juxta scutellum, interjectis aliis humilioribus alternis, omnibus fere infra apicem conjunctis, unica tantum versus spinam apicalem excurrente. Corpus subtus dilutius fusco-testaceum, subtilissime punctulatum, densius griseo-pubescens. Pedes mediocres fusco-picei pubescentes, femoribus compressis, parum clavatis.

VAR. β triplo minor, fusco-ferruginea, antennis pedibusque ruso-ferrugineis, ceterum simillima, forte mas.

GYLLENH.

250) STENOCHORUS ANTENNATUS: fusco-ferrugineus, cinereo-pubescens, confertissime ruguloso-punctatus, thorace brevi depresso mutico, antennis longis latis compressis.

Habitat in India orientali.? Mus. *Schönherr*.

Statura lineari elongata & fere magnitudo *Callidii rustici* mediocris. Caput porrectum, obscure fusco-ferrugineum opacum, confertissime rugoso-punctulatum, densius griseo-pubescens, fronte inter antennas sat profunde canaliculata; mandibulæ elongatæ nigro-piceæ, valde arcuatæ; palpi longi sub-æquales ferruginei pubescentes; oculi magni prominuli nigro-brunnei, antice emarginati. Antennæ corpore dimidio longiores, crassæ, compressæ, fusco-ferrugineæ, vix extrorsum attenuatæ, articulis externe apice acuminatis. Thorax parvus transversus, latitudine multo brevior, antice sub-rotundatus, lateribus marginatus, ante medium dilatatus, posterius angustior, basi sub-truncatus, supra depressus, fusco-ferrugineus, griseo-pubescens, confertissime subtiliter punctulatus, tuberculis quatuor parum elevatis, in tetragonum positis, notatus. Scutellum parvum semi-ovatum fusco-ferrugineum, punctulatum & pubescens; lamina ante-scutellaris sub-quadrangula, lævis ferruginea. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris rectangulis, & illo sextuplo longiora, apice rotundata, integra, supra modice convexa, dilutius rufo-ferruginea, fortius quam thorax & creberrime rugoso-punctata, pube griseo-pallescente adspersa. Corpus subtus saturate ferrugineum, sub-nitidum, confertim subtiliter punctulatum, tenue pubescens. Pedes elongati validi, fusco-ferruginei, crebre punctulati, longius pallido-pubescentes.

GYLLENH.

251) STENOCHORUS STUPOSUS: elongatus fusco-testaceus, tenue pubescens, confertim punctulatus, thorace parvo mutico, mandibulis validis nigris.

Habitat in India orientali.? Dom. *Osbeck*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo & fere statura *St. garganici* vel *Callidii rustici* majoris, sed thorax multo angustior. Caput magnum, cum oculis thorace latius, fusco-testaceum confertissime punctulatum, pube tenui depressa pallescente adspersum; frons inter oculos sat profunde canaliculata; mandibulæ magnæ validæ nigræ, parum

arcuatæ: oculi magni lunati nigro-brunnei, valde prominuli. Antennæ corpore longiores, crassiusculæ, compressæ, rufo-ferrugineæ, sub-nudæ. Thorax parvus, capite fere minor, basi apiceque truncatus, lateribus sub-rotundatus, muticus, supra parum convexus, sub-inæqualis, totus fusco-testaceus, confertissime punctulatus, pube tenui pallide cinerea adspersus. Scutellum parvum semi-ovatum, thoraci concolor punctulatum, longius pubescens; lamina ante-scutellaris scutello major, sub-quadrata, lævis, basi ciliata. Elytra magna, thorace multo latiora, humeris rectangulis, thorace sextuplo longiora & ultra, sub-linearia, apice simul acuminata, supra modice convexa, saturate testacea, confertissime & fortius ruguloso-punctata, tenue pallido-pubescentia. Pectus dilutius testaceum subnitidum, subtilissime confertim punctulatum, parce pubescens; abdomen saturatius fusco-testaceum nitidum, evidentius crebre punctulatum, parce pubescens. Pedes breviusculi validi ferruginei, crebre punctulati, femoribus compressis, tibiis densius villosis, externe crenulatis, tarsis dilatatis spongiosis.

GYLLENH.

252) STENOCHORUS MYTHICUS: lineari-elongatus fusco-piceus, dense flavescenti-pubescens, thorace elytrisque lineis characteribusque denudatis brunneis, antennis brevibus.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Minor, angustus, statura elongata & magnitudine fere *Saperdæ clavicornis*, *Fabr*. Caput porrectum fuscopiceum punctulatum, pube brevi decumbente flava densa tectum, linea longitudinali angusta frontis & verticis denudata; mandibulæ validæ rufo-piceæ, apice nigræ; oculi magni prominuli nigro-brunnei, valde sinuati. Antennæ setaceæ, dimidio corpore parum longiores, ferrugineæ, flavo-pubescentes. Thorax latitudine dimidio longior, anterius paullo angustior, basi apiceque sub-truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, supra convexus, nigro-piceus, confertim ruguloso-punctatus, pube brevi depressa flavescente tectus, relictis signaturis variis denudatis: in medio dorsi nempe litura latior posterius bifida cum mucrone centrali; ad utrumque latus alia longitudinalis interrupta, interjecta lineola parva brevi interne. Scutellum sub-triangulare

re, pube densa depressa flava omnino tectum. Elytra thoracis medio parum latiora, humeris rectangulis, thorace quadruplo longiora, linearia, apicem versus attenuata, apice ipso oblique truncata, supra convexa, dilutius piceo-ferruginea, evidenter sed inæqualiter punctata, stria unica punctorum juxta suturam & altera intra marginem lateralem regularibus; pube densa depressa brevi flava tecta, relicta in singulo elytro linea media sub-elevata, postice abbreviata, alia exteriore obsoletiore, ab humero exeunte, liturisque nonnullis brevibus, lineis descriptis adnexis, denudatis. Corpus subtus fusco-piceum, vix punctulatum, pube brevi depressa flavescente omnino tectum. Pedes mediocres rufo-ferruginei, flavo-pubescentes, femoribus parum incrassatis. GYLLENH.

SAPERDA.

253) SAPERDA GIRAFFA: brunnea corpore albo-variegato, elytris antice lineis, postice maculis, suturaque albis, apice bidentatis; pedibus pallide rufis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Species elegans, corpore obscure-brunneo vel hepatico, lineis maculisque albis holosericeis pulchre variegato. Antennæ longitudine corporis graciles nigricantes. Caput album fronte plana, vertice obscuro albo-lineato. Thorax ad basin sub-coarctatus, hepaticus, punctatus, lineis septem longitudinalibus albis, latioribus angustisque alternantibus. Scutellum apice truncatum macula alba. Elytra basi truncata, angulo humerali sub-recto, lateribus bi-costata, posterius angustata, apice in singulo emarginato bidentato, dorso depressa, punctata, hepatica; præter suturam in singulo antice lineæ tres albæ, quarum exterior lateralis tenuissima, media ab humero ad medium elytri producta, interior abbreviata; pone medium maculæ tres albæ, una post alteram posita, antica sutura propriore. Corpus subtus albo brunneoque variegatum, ano albido-piloso. Pedes sub-compressi rufescentes, pube sericea albida vestiti. Alæ obscuræ.

DALM.

254) SAPERDA BIDENTULA: flava, maculis thoracis duobus lateralibus, apice bidentato elytrorum, pectore abdomineque, nigris.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo vix *Sap. cylindricæ*. Caput flavum ore concolore, mandibulis nigris; frons convexa puncto minuto nigro inter oculos, aliaque duo lateralia pone illos. Oculi nigri, antennarum insertione omnino divisi, ut quatuor videantur. Antennæ longitudine corporis, nigræ articulis 4 & 5 flavis. Thorax muticus, flavus, utrinque macula laterali nigra; scutellum minutum flavum. Elytra linearia, punctato-striata, præter suturam & marginem costis 2 l. 3; flavo-testacea apice nigro emarginato, denticulo exteriore longiore. Corpus subtus nigrum pallido-pubescens, sterni macula media flava, abdomine immaculato. Pedes breviusculi flavi, tarsis tibiisque nigris.

Obs. *Sap. bidentata Fabr.* secundum descriptionem huic affinis videtur, differt vero maculis thoracis quatuor, corporeque flavo. A *Sap. deusta* differt hæc nostra magnitudine minore, thoracis dorso immaculato, pedibusque anterioribus flavis &c. Dalm.

255) Saperda deusta: subtus pedibusque nigra, supra testacea pubescens, thoracis vittis tribus, apiceque elytrorum bidentato, nigris.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Sap. cylindricæ dimidio major. Caput saturate testaceum fronte convexa, mandibulis lineaque verticali nigris. Oculi nigri, lunati vix interrupti. Antennæ longitudine corporis, nigræ nigroque pilosæ, articulis 3, 4 & 5 inferne testaceis. Thorax muticus lævis, lateribus rectis, testaceus, utrinque vitta laterali latiore, mediaque dorsali, nigris integris. Scutellum nigricans. Elytra sublinearia, testacea, pubescentia, punctato-striata, costisque in singulo tribus præter suturam & marginem; apex niger emarginatus, dente marginali longiore. Pectus & abdomen nigra immaculata. Pedes picei, femoribus anterioribus subtus testaceis.

Dalm.

256) Saperda Fricator; flavo-testacea, capite anoque nigris, elytris punctato-striatis margine postico apiceque bidentato infuscatis.

Habitat in India orientali. Dom *Lebeck*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo *Sap. cylindricæ*, statura omnino & affinitas præcedentium. Caput totum nigrum subtiliter punctulatum pube tenui albida obsitum. Oculi emarginati, sed haud divisi. Antennæ basi nigræ — (in nostr. defectæ.) Thorax flavo-testaceus, certo situ subsericeus, carinula dorsali obsoleta, haud punctatus; scutellum breve concolor. Elytra ad basin thorace multo latiora, illoque triplo longiora posterius angustata, dorso plana, punctato-striata, lateribus deflexis, costa sat determinata ab humero incipiente usque ad apicem bidentatum producta, testacea, costa margineque posterius nigris, apice infuscato. Corpus subtus flavo-testaceum læve, sericeum, ano nigricante. Pedes corpori concolores tibiis posticis nigro-fuscis.

Obs. *Sap. japonica Thunb.* secundum descriptionem perbrevem huic affinis videtur; figura vero non placet. DALM.

257) SAPERDA PRÆTEXTATA: nigra, thorace brevi, medio luteo, punctis duobus nitidis nigris, elytris luteis, plaga suturali lata punctisque duobus humeri nigris.

Habitat in Tauriæ graminosis in valle Sudak primo vere haud infrequens.

Statura & magnitudo *S. Lineolæ*, sæpe etiam paullo major. Caput nigrum punctulatum, griseo pubescens, lineola media impressa, antennis longitudine corporis concoloribus. Thorax transversus parum convexus, pube longiori, sed vix punctatus; discus luteus punctis duobus nitidissimis nigris. Scutellum parvum nigrum pallido-pubescens. Elytra basi thorace latiora, postice angustiora, apice oblique retusa, supra plana, lateribus reflexa, punctata, pube brevissima grisescente; lutea, sutura fere ad apicem usque late nigra, puncto nigro in ipso humero alteroque paullo infra juxta marginem. Totum corpus subtus nigrum, cinereo-pubescens. Tibiæ mediæ ut in pluribus congeneribus leviter excisæ. STEVEN.

258) SAPERDA LEUCASPIS: thorace sub-cylindrico, cyanea, punctatissima, pectore utrinque maculis tribus scutelloque albis.

Habitat in Caucaso cisalpino.

Statura *S. violaceæ* & magnitudine variat sicut hæc. Frons admodum deflexa, linea media impressa, pube

brevissima grisescente; occiput & thorax punctatissima, pilis raris erectis. Antennæ nigræ, pilis raris ciliatæ, articulo baseos subcyaneo nitente. Thorax subcylindricus, latitudine longior, in medio valde convexus, antice posticeque depressus. Scutellum sub-rotundum niveo-tomentosum. Elytra thorace quadruplo longiora sed parum latiora, acutiuscula punctatissima: punctis quam in thorace multo majoribus, pilis brevissimis erectis pubescentia, vix nisi certo situ conspicuis, apice evidentius ciliata. Pectus punctatissimum maculis a pube densissima nivea, prima rotunda supra pedes anticos, altera ovata sæpe bipartita supra pedes medios, tertia lineari usque ad pedes posticos producta, cum media sæpe contigua, Abdomen leviter pubescens, sed vix punctatum. Pedes toti nigri.

Sap violacea quæ interdum scutello albido occurrit, differt thorace breviore pube magis conspicua, elytris obtusis, pectore maculis nullis.

STEVEN.

259) SAPERDA PUPILLATA: linearis flavo-testacea, capite, punctis tribus baseos thoracis, ventris medio elytrisque nigris, his macula scutellari flava.

Sap. Lima, D. Megerle in litt. — *S. pupillata* Schneid.

Habitat in Helvetia. Mus. *Schönherr* & *Gyllenh.*

Statura omnino *S. oculatæ*, sed jam dimidio, jam duplo vel triplo minor. Caput magnum, thorace latius, saturate nigrum, fusco-pubescens, sat crebre sed parum profunde punctatum; labrum pallidum, apice truncatum nigrum; palpi flavo-testacei; frons & vertex obsolete canaliculata; oculi lunati nigri. Antennæ vix longitudine corporis, articulo primo magno, crasso, secundo minuto, nigris; reliquis fusco-brunneis. Thorax transversus, basi apiceque truncatus, lateribus rectis, intra basin & apicem obsolete constrictus, supra in medio modice convexus, totus undique flavo-testaceus opacus, obsoletissime punctatus, pube tenui sub-erecta pallida adspersus; in medio baseos punctum parvum nigrum, & versus marginem utrinque striola sub-arcuata, abbreviata, ejusdem coloris. Scutellum transversum, flavo-testaceum, pubescens. Elytra thorace latiora, humeris sub-rectangulis, thorace sextuplo longiora & ultra, linearia, apice oblique emarginata, angulo exteriore acuto, supra fere plana, nigra, pube te-

nui densa cinerea obducta, unde fusco-cinerea vel plumbea apparent; punctis sub-seriatis impressa, lineisque 2 vel 3 sub-elevatis in singulo notata; in ipsa basi interiore juxta scutellum, macula magna flavo-testacea, postice bifida. Corpus subtus flavo-testaceum sub-læve, pectore pallido-pubescente, interdum litura laterali nigra notato; abdominis tria prima segmenta plaga magna media, quartum macula angusta baseos nigris; quintum canaliculatum, apice nigrum. Pedes breviusculi flavo-testacei, tenue pubescentes, tarsis obscurioribus. GYLLENH.

260) SAPERDA MOLYBDÆNA: parva, filiformis, cæruleo-chalybæa tota, unicolor; supra punctatissima, subtus subtilissime obsolete strigosa; antennis longitudine corporis.

Habitat Halæ Saxonum. Dom. *Sturm*. Mus. *Schönh.*

Fere minima hujus generis, *S. præusta* paullo longior sed duplo fere angustior, filiformis unicolor, parce cinereo-pubescens. Antennæ corpore vix longiores, nigro-fuscæ, subtilissime pallido-pubescentes, interjectis pilis longioribus sparsis subtus. Caput thorax & elytra cæruleo-chalybea, æqualiter confertissime punctata. Thorax elongatus cylindricus; elytra valde elongata, linearia; os & oculi nigri. Elytra apice cinereo-pubescentia; scutellum albido-pubescens. Corpus subtus concolor magis nitidum, subtilissime obsolete strigulosum, cinereo-pubescens. Pedes mediocres, graciles, læves, fusco-chalybæi, tenue pubescentes. DALM.

261) SAPERDA KIRBYI: brevior, nigra, thorace angulato-dilatato, supra fortius rugoso-punctato, luteo-tri-vittato, elytris umbrinis unicoloribus, apice singulatim rotundatis.

Habitat in Lusitania. Dom. *Lundstedt*. Mus. *Schönherr & Gyllenhal*.

Sap. Cardui affinis, sed latior & brevior, statura fere *S. Seydlii*. Caput breve latum nigrum, confertim punctatum, pube densa lutea tectum, immixtis pilis longioribus nigris erectis; os & palpi nigri; oculi lunati brunnei, modice prominuli; frons inter antennas profunde sulcata; verticis latera nuda, sed in ejus medio vitta lutea, thoraci contigua. Antennæ corpore parum longiores, setaceæ, articulo primo magno elon-

gato, secundo minuto transverso, totis nigris; sequentibus 3-12, sensim angustioribus, pallide testaceis, parum albido-pubescentibus, apice sub-crassioribus atro-holosericeis, subtus pilis longioribus nigris ciliatis. Thorax brevis transversus, antice angustior, basi apiceque truncatus, lateribus pone medium valde dilatatus, sub-angulatus, supra in medio modice convexus, intra basin & apicem constrictus, totus niger, sub-nitidus, sat profunde confertim rugoso-punctatus, pilis longioribus erectis nigro-fuscis adspersus; in medio dorsi vitta inæqualis e pube densa saturate lutea, & alia ejusmodi in utroque margine laterali. Scutellum transversum, pube densa lutea omnino tectum. Elytra thorace multo latiora, humeris rectangulis, & illo quintuplo longiora, apice singulatim rotundata, dehiscentia, supra modice convexa, æqualia, nigra, sed materia umbrina opaca adglutin[illegible]a omnino tecta, ipsa tantum basi nuda; pubescentia tenui pallescente æqualiter adspersa, ad humeros granulata, juxta basin præterea profundius, versus posteriora sensim subtilius confertissime punctata. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, subtilissime coriaceum, pube densa depressa flavescente, obsolete fusco-punctata, tectum. Pedes mediocres nigri, pube tenui densa cinereo-flavescente tecti.

Dom. *Guil. Kirby*, Rector Barhamiæ, Monographiæ Apum Angliæ excellentissimæ, pluriumque Operum Entomologicorum magni pretii, Auctor, summa cum laude nominandus. GYLLENH.

262) SAPERDA SPENCII: longior nigra, thorace lateribus sub-rotundato, supra subtilissime rugoso-punctato, luteo-tri-vittato, elytris umbrinis unicoloribus, apice sub-acuminatis.

Saperda Asphodeli. Latr. Illig. teste Dom. Dejean.

Habitat in Gallia meridionali. Mus. *Schönherr* & *Gyllenhal*.

Magnitudo, statura & affinitas *S. Cardui*, sed elytra unicolora, umbrina, opaca, apice sub-acuminata, cum in *S. Cardui*: elytra nigra, sub-nitida, pilis ferrugineo-flavescentibus fasciculatim variegata, apice singulatim rotundata; antennæ etiam in *S. Spencii* longiores, tenuiores, &c. — Caput quoad structuram, pubescentiam ejusque colorem, omnino ut ad *S. Kirbyi* descriptum, modo punctura subtilior & oculi saturatius

brunnei. Antennæ sæpe corpore duplo longiores, in aliis tamen vix sesqui-longiores, tenues, setaceæ, articulo primo magno nigro, antice flavo-piloso, secundo parvo, nigro: reliquis rufo-ferrugineis, parum albido-pubescentibus, apice holosericeo-atris, minus incrassatis, subtus longius fusco-pilosis. Thorax subtransversus, basi apiceque truncatus, lateribus pone medium nonnihil rotundatus, minime vero angulatus, ut in *S. Kirbyi*; niger nitidus, confertissime, sed & subtilissime ruguloso-punctatus, vittis tribus e pube densa lutea ornatus, media sub-æquali, reliquis lateralibus. Scutellum transversum, pube lutea depressa omnino tectum. Elytra thorace multo latiora, humeris rectangulis, & illo sextuplo longiora, apice suturali subacuminata, non dehiscentia, supra modice convexa, cæterum quoad colorem umbrinum, puncturam & pubescentiam omnino ut in *S. Kirbyi* descripta; in margine laterali deflexo vitta evidens e pube densa sub-erecta lutea. Corpus subtus nigrum sub-nitidum, subtilissime coriaceum, pube lutescente adspersum. Pedes mediocres nigri, pube cinereo-flavescente tecti.

GYLLENH.

Dom. *Guil. Spence*, Esquire, Anglus, Entomologus Eximius, & cum Celeb. Dom. *Kirby*, Auctor operis instructissimi, sub Tit. "Introduction to Entomology, or Elements of the Natural-History of Insects. Lond. 1815." — Propter plurimas benevole communicatas illustrationes Synonymicas, præsertim obscuriorum in Marshami Ent. Brit. gratissimi animi signum offert SCHÖNHERR.

263) Quoniam plures, *S. Cardui* valde similes & affines, jam ut distinctæ species proponuntur, genuinam *S. Cardui* accuratius determinare volumus:

SAPERDA CARDUI: longior, nigra, thorace subtransverso, lateribus rotundato, supra subtilissime ruguloso-punctato, flavescenti-trivittato, elytris sub-nitidis flavescenti-fasciculosis, variegatis, apice singulatim rotundatis.

S. Cardui. Fabr. Oliv. Panz. Herbst Archiv. &c. (non Linnæi).

Habitat in Europæ *Carduis*.

Caput confertim punctulatum, pube flavescente, in vittam verticis excurrente, vestitum. Antennæ cor-

pore dimidio longiores, articulis 3-12 ferrugineis, albido-pubescentibus, apice crassioribus atro-holosericeis. Thorax sub-transversus, lateribus pone medium modice rotundatus, niger, supra subtilissime ruguloso-punctatus, vittis tribus angustioribus e pube densa flavescente. Elytra thorace sextuplo longiora, apice singulatim rotundata, supra nigra sub-nitida, confertim ruguloso-punctata, fasciculis sparsis e pilis brevibus flavis vel luteis, versus latera & apicem magis condensatis, variegata. Corpus & pedes ut in prioribus.

VAR. β. Elytris parce cinereo-fasciculosis, antennarum articulis inferne angustius sub-ferrugineis.

Habitat in Tauria. Dom. *Steven*. Mus. *Schönherr*.

Differt ab α, solummodo quoad paullo minor, fasciculi pilorum in elytris pauciores, cinerei, & annuli pallidi antennarum angustiores, ut in diagnosi dictum.

GYLLENH.

264) SAPERDA ANGUSTICOLLIS: longior, nigra, thorace sub-cylindrico, flavescenti-tri-vittato, elytris flavescenti-fasciculosis variegatis, apice singulatim rotundatis, antennis nigris albido-fasciatis.

Habitat in Europa, cum *S. Cardui* confusa.

Simillima *S. Cardui*, sed minor, thorax angustior, sub-cylindricus, antennæ totæ nigræ, pube albida fasciatæ, unde distincta videtur. Caput ut in prioribus. Antennæ corpore longiores, nigræ, articulis 3-12 annulo baseos e pube subtilissima albida cinctis. Thorax latitudine paullo longior, basi apiceque truncatus, lateribus vix ac ne vix dilatatus, modo intra basin & apicem obsolete constrictus, supra modice convexus, niger, sub-nitidus, confertim subtiliter ruguloso-punctatus, vittis tribus angustioribus e pilis depressis flavescentibus, una dorsali & una utrinque laterali. Scutellum transversum, dense flavescenti-pubescens. Elytra nigra sub-nitida, quoad formam & puncturam omnino ut in *S. Cardui*, etiam fasciculis e pilis flavo-ferrugineis variegata. Corpus & pedes ut in prioribus.

GYLLENH.

265) SAPERDA MACULICORNIS: brevior, nigra, thorace longiore sub-cylindrico, subtilissime punctulato, flavo-tri-vittato, elytris depressis nigris opacis, æqualiter cinereo-pubescentibus, antennis albido-fasciatis.

S. maculicornis Creutzer. sec. Schneid.
Habitat in Germania. Mus. *Gyllenhal.*
Præcedentibus longe minor, S. *Ephippio* Fabr. æqualis, & statura depressa elytrorum similis. Caput magnum nigrum, confertim subtilissime punctulatum, fronte lineaque verticis flavescenti-pilosis. Antennæ corpore paullo longiores, setaceæ, nigræ, articulo tertio annulo baseos parvo, angusto, sequentibus annulo latiore albido-pubescente cinctis. Thorax latitudine paullo longior, basi apiceque truncatus, & nonnihil constrictus, lateribus vix rotundatus, supra convexus, sub-cylindricus, niger sub-nitidus, confertissime subtiliter punctulatus, vitta media dorsali, aliaque utrinque laterali e pilis depressis flavo-testaceis. Scutellum sub-transversum, pube densa flava tectum. Elytra thorace multo latiora, humeris rectangulis, illoque vix quintuplo longiora, apice singulatim rotundata, supra fere plana, tota ferreo-nigra, sub-opaca, confertim & fere undique æqualiter ruguloso-punctata, pilis parvis griseis declinatis adspersa. Corpus subtus nigrum, subtilissime coriaceo-strigulosum, cinereo-pubescens. Pedes mediocres nigri, cinereo-pubescentes.
GYLLENH.

266) SAPERDA CYANELLA: lineari-cylindrica, capite thoraceque obscure cyaneis subtilissime punctatis, elytris cærulescentibus profundius punctatis.
Habitat — — — a Dom. *Schneider* missa. Mus. *Schönherr.*
Minuta, longitudine *S. præustæ* sed multo angustior, valde convexa. Antennæ corpore paullo longiores, nigricantes sub-pilosæ. Caput thorace fere latius, fronte convexiuscula; obscure-cyaneum, subtiliter punctulatum, pube brevi albida sparsa. Thorax cylindricus colore capitis, crebre sed subtilissime punctatus. Scutellum transversum albo-pubescens. Elytra thorace paullo latiora illoque triplo longiora, linearia, tenue marginata, dorso convexa, tota cærulescentia conferte & profunde punctata, ut certo situ subrugosa apparent, pube parciore albida conspersa; apex singuli elytri depressus, sub-acuminatus. Corpus subtus obscure-cyaneum, pedibus nigricantibus tenuiter albo-sericeis.
DALM.

267) SAPERDA AZUREA: thorace brevi, cyanea, fusco-pubescens, femoribus omnibus tibiisque anticis rufis.

Habitat in Caucasi pratis circa Georgiefsk passim.
Magnitudo & fere statura *S. Lineolæ*. Antennæ basi nigræ, dein fuscescentes. Frons convexa; occiput lineola impressa. Thorax convexus, punctulatus, lineola media lævi. Elytra punctata, thoraci concoloria vel sub-violacea, apice rotundata. Corpus subtus cyaneum, pubescens. Pedes breves validi. Femora omnia lutea, basi nigra; tibiæ anticæ totæ, reliquæ summa basi tantum luteæ. Tarsi omnes nigri.

STEVEN.

CALLIDIUM.

268) CALLIDIUM BREVICOLLE: piceum, capite retracto thorace pedibusque pallide testaceis, fusco-maculatis, antennis scutelloque fuscis, elytris fusco-cæruleis coriaceis.

Habitat — — — Mus. Schönherr.

Statura fere *Call variabilis* & individuis minoribus ejusdem magnitudine æquale, thorace vero multo breviore, femoribus minus clavatis, elytris coriaceis &c., omnino diversum. Antennæ in nostris vix longitudine corporis, fuscæ. Caput breve sub thorace nonnihil retractum, testaceum, mandibulis apice, fronteque inter antennas, nigris. Thorax latitudine perspicue brevior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatis tuberculo minuto, dorso subdepresso parum inæqualis, totus punctulatus, pallide testaceus, macula disci arcuata, elevata subfusca utrinque. Scutellum subcordatum fuscum. Elytra thorace latiora, linearia, latitudine triplo longiora, apice rotundata, dorso depressa subplana, fusco-cyanea pallido-pubescentia, subtiliter transversim rugulosa l. coriacea. Corpus subtus piceum subtilissime punctulatum, marginibus segmentorum dilutioribus; pedes lutei pubescentes, femoribus modice clavatis, medio infuscatis.

VAR. β, lateribus thoracis fuscis, elytris fusco-chalybæis.

Latera thoracis omnino nigro-fusca, relicta macula discoidali margineque antico luteis. Elytra colore obscuriore fusco, magis ad chalybæum quam cyaneum vergente. Cetera omnino ut in α.

DALM.

269) CALLIDIUM FASCIATUM: fusco-castaneum, capite, thorace fasciisque tribus elytrorum villo-

so-canescentibus, antennis longissimis, subtus dense pilosis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Statura & magnitudo fere *C. holosericei* cui similis, thorace tamen rotundatiore. Antennæ corpore toto longiores, articulo primo obconico, secundo nodiformi, 3-11 filiformibus sensim angustioribus, subtus pilis densis canescentibus ciliatæ. Caput punctatum, canaliculatum, fronte verticeque depressis, castaneum, canescenti pubescens. Thorax antice in medio productus, lateribus dilatato-rotundatus, basi bi-emarginatus, supra punctatus, carina dorsali antica glabra & tuberculis plurimis inæqualis, margine basali elevata; castaneus, pube canescente variegatus. Scutellum longitudinaliter depressum, castaneum, canescenti pubescens. Elytra thorace [illegible] triplo longiora, apice rotundata, lateribus marginata, supra punctata, antice lineis duabus elevatis, abbreviatis, humeris prominentibus; castanea fasciis tribus undatis canescentibus punctisque denudatis adspersis: prima angustior, flexuosa, secunda in medio, lata, utrinque sinuato-dentata, tertia etiam lata, apicem totum occupans, antice sinuata. Corpus subtus fusco-castaneum, canescenti-pubescens & pilosum. Pedes castanei pubescentes, femoribus compressis, vix clavatis. BILLB.

270) CALLIDIUM ILLUSTRE: rufo-ferrugineum, antennis concoloribus, thorace femoribusque nigro-lineatis, elytris sub-nigris lituris tribus flavo-albidis, media hamata.

Habitat Cap. bon. Spei. Mus. Dom. *Gyllenhal* & *Schönherr*.

Magnitudo *Callidii luridi*, statura fere *Clyti*, sed magis depressum, thorax non globosus utrinque tuberculo armatus, nec corpus tomento tectum. — Caput rufum, oculis macula frontali fasciaque verticis nigris. Antennæ corpore breviores ferrugineæ. Thorax latitudine vix longior, antice posticeque sub-truncatus, lateribus angulato-tuberculatus, supra depressus, punctato-rugosus, ruber, utrinque linea dorsali sinuata, aliaque intramarginali nigris. Scutellum nigrum. Elytra latitudine triplo longiora, apice rotundata, evidenter & confertissime punctato-rugosa, margine, sutura apiceque rufis, disco vero nigra, lituris in singulo tri-

bus flavis parum punctatis, & a sutura & a margine remotis, quarum prima in medio baseos oblonga, obliqua; secunda ante medium, hamata acutangula antrorsum spectens; tertia pone medium linearis obliqua; litura prima & tertia posterius ab oppositis divergentes. Corpus subtus rufo-ferrugineum, parcius albo-pubescens. Pedes abdomini concolores, femoribus modice clavatis, plerumque supra linea nigra notatis, tarsis dilatatis, subtus spongiosis. DALM.

271) CALLIDIUM? MURICATUM: lineare depressum, fusco-piceum, antennis pedibusque pallide ferrugineis, thorace lateribus muricato.

Habitat in Suecia rarissime; in Westrogothia a Dom. *Odhner* captum, in Westmannia a Dom. *Crug.* Mus. *Gyllenhal* & *Schönherr*.

Insectum singulare, statura, thoracis præsertim, a reliquis hujus generis aliena, magnitudine *Clyti mystici*, sublineare, dorso fere planum. Antennæ longitudine dimidii corporis, ante oculos ad os insertæ, teretes, ferrugineæ, testaceo pubescentes & pilosæ, præsertim ad basin. (Constant articulis 12; primus crassior subovatus, secundus minor brevior; 3 & 4 primo vix longiores apice paullo crassiores, reliqui subæquales, longiores, sublineares, ultimus parvus breviter-ovatus.) Caput breve nigrum nitidulum, punctulatum, parcius pallido-pilosum. Mandibulæ breves nigro-piceæ; palpi breves, lineares, pallide ferruginei. Oculi laterales oblongi, vix reniformes, antice parum emarginati. Thorax latitudine nonnihil longior, subquadrangulus, angulis tamen rotundatis præsertim posterioribus, dorso depressus subplanus, nigro-piceus parcius pallido-pilosus, in disco crebre, subtilius punctulatus, carinula obsoleta nitidiori sublævi; in limbo antico & laterali tuberculis acutis confertim muricatus, ibique, ut & interdum in medio obsolete rufescens; subtus lævis nitidus, niger, in medio rufescens. Scutellum semi-ovatum nigricans. Elytra thorace parum latiora, illoque triplo longiora, obscure fusco-spadicea, interdum pallidius fusco-ferruginea, pube brevi testacea adspersa, sub lente crebre punctulato-rugosa; præter suturam & marginem lineæ duæ longitudinales obsoletæ, parum elevatæ. Alæ pallide infuscatæ. Corpus subtus pallidius rufopiceum, glabrum; venter in altero sexu posti-

ce oblique retusus. Pedes breves pallide ferruginei, pubescentes, mutici, femoribus crassiusculis compressis, tarsis omnibus evidenter quadriarticulatis, vix spongiosis. DALM.

CLYTUS.

272) CLYTUS ZEBRA: nigro-piceus, dense pallido-virescenti pubescens, antennis pedibusque rufescentibus, litura thoracis, fasciisque elytrorum quatuor nigro-fuscis, prima & secunda sutura conjunctis.

Habitat — — — Mus. *Schönherr.*

Magnitudo, statura & facies *Cl. florali* omnino, color indumenti flavo-virescens *Cl. ornati*. Caput virescens ore antennisque rufescentibus. Thorax globosus longior quam in *Cl. florali*, pallide virescenti-pubescens, litura dorsali fusca obsoletiore, lateribus evanescente. Scutellum virescens. Elytra latitudine thoracis, illoque vix triplo longiora, apice singulatim rotundata, pallide-virescenti pubescentia, fasciis quatuor denudatis nigro-fuscis, sub-æquali spatio remotis, suturam, non vero marginem, attingentibus; prima arcuata ab humero ad scutelli apicem ducta, secunda subrecta sutura nigricante cum præcedente conjuncta, tertia subarcuata retroversa, quarta recta obliqua, ad suturam adscendens. Corpus subtus pube densa lætius sulphureo-virescente tectum. Pedes simplices ferruginei. Alæ pallidæ. DALM.

273) CLYTUS BI-MACULATUS: sub-depressus, rufo-castaneus, griseo-pubescens, supra obscurior, thorace maculis duabus griseo-villosis, elytris fusco-irroratis.

Habitat — — — Mus. *Schönherr.*

Magnitudo *Cl. liciati* mediocris, at statura magis depressa, & thorace angustiori differt. Antennæ pilosæ castaneæ longitudine fere corporis. Caput punctatum, fronte depressi, castaneum, griseo-pubescens. Thorax sub-orbiculatus dorso minus convexus, punctatus, castaneus, griseo-pubescens, ante medium maculis duabus rotundatis griseis e pube densiori. Scutellum parvum griseum. Elytra thorace vix triplo longiora sed latiora, punctata, humeris prominentibus, castanea, parcius griseo-pubescentia, punctis denudatis crebre irrorata. Corpus subtus cum pedibus, dilutius rufo-castaneum, pube breviori grisescente adspersum. BILLB.

274) Clytus scriptus: fusco-rufescens albido strigatus & maculatus, elytris apice truncatis spinosis.

Habitat in Siena Leona. Dom. *Afzelius*. Mus. *Schönherr*.

Parvus gracilis, *Cl. massiliensi* fere minor. Antennæ nigro-fuscæ. Caput nigrum albido-pubescens, palpis ferrugineis. Thorax elongato-subglobosus subtilissime coriaceus, rufus, undique guttulis albo micantibus & regulariter dispositis notatus. Scutellum semi-ovatum, albido-pubescens. Elytra thorace paullo latiora, illoque haud triplo longiora, apice truncata, angulo exteriore acute-spinoso; nigro-fusca, plaga dorsali obsoleta rufescenti; albido-signata; nempe: lineolæ quatuor ad basin, quarum prima suturalis extus flexa, 2 & 3 brevissimæ e basi orientes, quarta brevis libera pone humerum, & punctum obsoletum subhumerale; in medio fascia transversa ad suturam dilatata, guttulaque apicalis, omnia alba pubescentia. Pectus fuscum tenue albo-pubescens, utrinque striolis duabus niveis signatum. Abdomen supra testaceum ano fusco, subtus fuscum maculis utrinque duabus albis ad marginem segmentorum 1 & 2. Pedes graciles fusco-picei, tenuissime glauco-pubescentes. Alæ pallidæ.

Dalm.

275) Clytus maculicollis: niger albo-maculatus, elytris sub-dentatis testaceis nigro-striolatis; pedibus ferrugineis femoribus apice nigris.

Habitat in India orientali. Dom. *Gröndal*. Mus. *Schönherr*.

Magnitudo *Cl. trifasciati*. Antennæ longitudine vix dimidii corporis, nigræ, pallide-pubescentes. Caput nigrum albo-pubescens, subtiliter punctulatum; frons subquadrata margine oculari elevato, canaliculisque duabus mediis opacis; sinus oculorum & genæ densius albo-pubescentes; os nigrum. Thorax quam in præcedentibus minus globosus, minusque convexus, nigro-fuscus, cinereo-pubescens, in dorso maculis 8 albis bi-quadrate positis, interioribus minoribus; subtus utrinque macula alba basalis. Scutellum semi-ovatum, nigro-fuscum, pubescens, puncto apicali albo. Elytra ad basin thorace parum latiora, posterius angustata, apice oblique truncata, angulo exteriore dente minuto armato; dorso subdepressa, pallide testacea, albo-pubescentia; in medio singuli elytri striola nigra,

alia minuta in humero, & præterea humeri subtus, apex elytrorum sutura & margo nigro-infuscata. Corpus subtus nigrum pallide pubescens, maculis albis distinctis notatum. Pedes ferruginei, albo pilosi, femoribus subclavatis apice nigris. — (posticis in nostro deficientibus); — tarsis nigro-fuscis subtus pallide-spongiosis. Alæ pallidæ. DALM.

ADDENDA.

276) TRICHIUS BONPLANDI: sub-depressus niger, supra glauco-variegatus, subtus virescenti-æneus, clypeo elevato tridentato, thorace rotundato, lateribus serrato.

Habitat in Brasilia. Dom. *Kreuger*. Mus. *Schönh.*

Magnitudo fere *Tr. Eremitæ*, sed multo magis depressus. Caput porrectum nigrum, confertim rugoso-punctatum, griseo-pubescens, antice profunde depresso-excavatum, marginibus alte elevatis, antico distincte tridentato; palpi picei; nucha ferrugineo-barbata; oculi globosi castanei, hamulo medio brevi, apice elevato, acuminato. Antennæ breves ferrugineæ, articulo primo crasso, clavato, piceo, fulvo-piloso, clava magna elongata pubescente pentaphylla. Thorax antice multo angustior, truncatus, lateribus valde dilatato-rotundatus, posterius sinuatus, basi sub-truncatus, marginibus lateralibus reflexis, rude, inæqualiter serratis; supra sub-depressus, vario modo impressus, foveolis parum profundis, aut orbiculatis aut ovalibus, diverse magnitudinis, materia glauco-albida repletis, crebre adspersus. Scutellum triangulare nigrum, glauco-maculatum. Elytra thoracis basi multo latiora, sed vix triplo longiora, humeris rotundatis, apice obtuse rotundata, fere truncata, supra depressa, inæqualia, nigra, opaca, dorso antico picea, punctis maculisque glauco-albidis confertim variegata; callus humeralis & alius intra apicem, alte elevati. Pygidium lato-triangulare nigrum, subtilius glauco-irroratum, pubescens, marginibus elevatis, crenulatis. Thorax subtus, pectus & abdomen valde strigulosa, virescenti-ænea, nitida, ferrugineo-pilosa. Pedes longiusculi validi virescentes, strigulosi & pilosi, tibiis anticis externe acute tridentatis, mediis bidentatis. GYLLENH.

277) LAMPRIMA HUMBOLDTI: fusco-ænea, squamulis pallidis adspersa, thorace dilatato, lateribus serrato, oculis divisis.

MAS: virescenti-olivaceus sub-nitidus, thorace valde dilatato convexo, mandibulis dimidio corpore longioribus, arcuatis, acutis, interne serratis.

FEMINA (forte hujus): triplo minor, subdepressa, supra fusco-cuprea, mandibulis latis planis, vix capitis longitudine.

Habitat in Brasilia. D. *Kreuger*. Mus. *Schönherr*.

Maris corpus *Lamp. ænea* mediocri paullo minus, totum virescenti-olivaceum, nitidum squamulis depressis, ovalibus & lanceolatis mixtis, supra paucioribus, albidioribus, subtus densis flavescentibus. adspersum. Caput porrectum, virescenti-olivaceum, breve, profunde punctatum, antice emarginatum, supra inæquale, lineis duabus elevatis, arcuatis, divergentibus, in vertice coeuntibus, notatum; foveola ante-ocularis dense squamosa; oculi prominuli brunnei, septo transverso elevato antice in dentem vel angulum exeunte, postice ad laminam elevatam verticis usque producto, omnino in duos divisi; mandibulæ longissimæ, dimidium totius corporis superantes, fusco-olivaceæ, punctatæ, arcuatim deflexæ, subtus & interne dense flavescenti-pilosæ, & dentibus plurimis, viginti circiter, rectis, acuminatis, subæqualibus, ultimo tantum longiore, majore, validiore, armatis; apex elongatus, valde incurvus, acuminatus; palpi elongato castanei nitidi, articulo ultimo angustiore subacuminato. Antennæ thorace multo breviores, castaneæ nitidæ, articulis tribus ultimis compressis fuscis opacis, interne dilatatis. Thorax amplus, antice late emarginatus, angulis prominulis, lateribus, præsertim pone medium valde rotundato-dilatatus & deflexus, margine toto crebre crenulato; basi media bi-sinuatus, supra valde convexus, inæqualis, in medio canaliculatus & utrinque foveis duabus impressus; totus virescenti-olivaceus nitidus, in disco parcius, subtiliter, versus margines crebrius & fortius punctatus, squamulis albidis, in medio rarioribus, adspersus. Scutellum sub-triangulare olivaceum dense albido-squamosum. Elytra parva, thorace vix dimidio longiora, ejusque lateribus dilatatis fere dimidio angustiora, basi sinuata, humeris prominulis fere rectangulis, pone humerum nonnihil dilatata, dein versus apicem valde angustata, apice ipso obtusa, cum acumine minuto interno; supra parum convexa, sutura,

linea media antice abbreviata aliaque ab humero exeunte obliqua, elevationibus; virescenti-olivacea, nitida, parce & obsoletius punctata, squamulisque albidis inæqualiter adspersa. Corpus subtus virescenti-olivaceum, parce subtiliter punctulatum, squamulis densis flavescentibus tectum, sub thorace erectis, piliformibus, in pectore & abdomine depressis; sternum posticum porrectum, conicum. Pedes elongati, validi, præsertim antici, femoribus viridi olivaceis squamosis, tibiis concoloribus angulatis, striatis, pallido-ciliatis, tarsis elongatis castaneis nitidis; tibiæ anticæ externe dentibus 6 vel 7 validis, acutis, armatæ.

Femina triplo minor. Caput porrectum, antice triangulariter productum, tuberculo elevato in ipso angulo armatum, supra depressum, inæquale, fusco-æneum, rude rugoso-punctatum, pilis rigidis erectis pallidis parce adspersum; septum oculos dividens ut in masculo; mandibulæ vix longitudine capitis, supra planæ, parum arcuatæ, apice acuminatæ; palpi breviores, crassiusculi. Antennæ ut in mare omnino. Thorax lateribus multo minus dilatatus & deflexus, sed fere fortius serratus, supra parum convexus, obsoletius canaliculatus & foveolatus, fusco-cupreus, confertissime & profunde rugoso-punctatus, parce squamosus. Scutellum ut in mare. Elytra ratione magnitudinis animalculi, longiora quam in masculo, cæterum quoad formam & lineas elevatas similia, fusco-cuprea, posterius nigro-inducta, in disco antico fortius punctata, parum albido-squamosa. Corpus subtus virescenti-æneum, magis quam in mare nitidum, modice pallido-squamosum. Pedes ut in masculo omnino.

Obs. Ex analogia cum *Lamprima ænea*, cujus femina etiam mari valde dissimilis, verosimillime concludendum, feminam jam descriptam ad *L. Humboldti* pertinere, eo magis, quoniam in eadem regione captæ & simul nobis communicatæ sint. Gyllenh.

Peregrinatores Celeberrimi, Dom. *Alex. von Humboldt* & *Aimé Bonpland*, sub itinere vastissimo in America meridionali, Historiam Naturalem detectis & observationibus maximi momenti ditarunt, quare nomina illorum cuique scientiarum amatori cara & summa cum laude conservanda.

Gyllenhal & Schönherr.

Index Alphabeticus

in

Synonymiam Insectorum

Sectionis 3:æ.

Obs. Nomina specifica, quibus in ipso Opere numerus est præfixus, sunt systematica, & asterisco [*] in hoc Indice notata, ut melius a synonymis distinguerentur.

--- ooo ---

ANOBIUM.

ANTHICUS.

ATRACTOCERUS. p. 47.

ATTELABUS.

AUCHENIA.

BRONTES. p. 57.

BUPRESTIS. p. 212.

CALLIDIUM. p. 440.

CALOPUS. p. 410.

CANTHARIS.

CARABUS.

CASSIDA.

CERAMBYX. p. 348.

CERAPTERUS. p. 19. 139.

CEROCOMA. p. 16. 137.

CETONIA. p. 111.

CHALEPUS.

CHRYSOMELA.

CISTELA.

CLERUS.

CLYTUS. p. 460.

EUCNEMIS. p. 318.

GEOTRUPES.

GLAPHYRUS. p. 146.

GNOMA. p. 417.

GYNOPTERION.

HALLOMENUS. p. 51.

HELODES.

HELOPS.

HISPA. p. 1. 132.

LAMIA. p. 367.

LAMPRIMA. p. 328.

LAMPYRIS. p. 59.

LEPTURA. p. 473.

LEPTUROIDES.

LETHRUS.

LISSONOTUS.

LUCANUS. p. 318.

LYCUS. p. 70.

LYMEXYLON. p. 46.

LYTTA. p. 20. 140.

MELOÏDES.

MELOLONTHA. p. 162.

MELYRIS.

MOLORCHUS. p. 498.

MORDELLA. p. 82.

PTEROPHORUS. p. 47. 1.

PTILINUS.

PTINUS.

PTILODACTYLA. p. 267.

PYROCHROA. p. 68.

SAPERDA. p. 418.

SCARABÆUS.

SCARITES.

SCRAPTIA.

SERROPALPUS. p. 47.

SIAGONA.

SILPHA.

SILVANUS.

SINODENDRON.

STENOCHORUS. p. 402.

STENOPTERUS. vid. (MOLORCHUS.)

STENOSTOMA.

TENEBRIO.

TETRAONYX. p. 43.

THELEPHORUS.

TILLUS.

TRACHYDERES. p. 364.

TRACHYS. p. 265.

TRICHIUS. p. 99.

TROX.

ULEOIOTA.

VALGUS.

XYLITA.

ZONITIS.

Explicatio Tabularum.

Tab. 5.

Fig. 1. *Lycus præmorsus*.
a. spina humeralis elytrorum magn. aucta.
Fig. 2. — — *corniger*.
a. spina humeralis elytrorum magn. aucta.
Fig. 3. — — *latissimus*, *a*.
Fig. 4. — — *foliaceus*.
Fig. 5. — — *xanthomelas*.
Fig. 6. — — *pallulatus*.
Fig. 7. — — *melanurus*.
Fig. 8. — — *sinuatus*.
Fig. 9. — — *terminatus*.
Fig. 10. — — *analis*.
Fig. 11. — — *ochraceus*.

Tab. 6.

Fig. 1. *Pausus denticornis*. { a. magn. aucta. b. — naturalis.
Fig. 2. — — *bucephalus*. { a. magn. aucta. b. — — naturalis. c. caput magn. aucta.
Fig. 3. *Passandra sex-striata*.
Fig. 4. *Cerambyx* (*Lissonotus*) *biguttatus*. { a. magn. aucta. b. — natural.
Fig 5. *Hispa porrecta*. { a. magn. aucta. b. — — natural. c. caput supern. visum: magn. auct. d. caput a latere visum. m. a. e. pes magn. aucta.
Fig. 6. *Buprestis variabilis*, *a*.

Corrigenda.

Pag. Lin.
5. penult. armais spongiis *leg.* armatis, spongiis
7. 21. rotundam *leg.* rotundatum
9. 8. elytrs *leg.* elytris
— 29. lo gius *leg.* longius
10. 35. interstiis *leg.* interstitiis
37. Corpu subtu *leg.* Corpus subtus
12. 22-23. *adde: Drilus concolor.* Ahrens, N. Schrift. d. Naturf. Ges. zu Halle II. II. p. 13. 4. T. 1. f. 4. d.
13. 9. nigræ-violaceus *leg.* nigro-violaceus
16. 31. punctulatumi *leg.* punctulatum,
— ult. coriacei. *leg.* coriaceis.
21. 4 ab infra. albi , *leg.* albis,
22. 31. elavatæ *leg.* elevatæ
27. 17. abdomi e *leg.* abdomine
29. sexus præcedentis? *leg.* sexus L. *palliati?*
5 ab inf. Forte non nisi *mas L. rostrati; leg.* Valde affinis *Lyco rostrato;* (cfr. Text. p. 70. not. e & seqv.
28. 15. Affinitas *leg.* Affinis
31. 8. ab infr. coste quatuor *leg.* costæ quatuor
33. 26. tarsuum *leg.* tarsorum
36. 8 & 9. Ingratam - - Prefecto *leg.* In gratam - - Præfecto
37. 11. ab inf. pa lescente, *leg.* pallescente,
38. 31. individuis *leg.* exemplaribus
32. supra quam infra *leg.* super quam subtus
34. crebre *leg.* copiose
39. 3. supra *leg.* super
4. crebrius *leg.* copiosius
7. levissimo *leg.* lævissimo
10. supra *leg.* super
12. 13. rugulosi *leg.* rugosuli
14. ejus modi *leg.* ejusmodi
17. pone elytra, *leg.* extra elytra,
— simili uti *leg.* simili ac
21. crebre *leg.* copiose
22. externe *leg.* margine exteriore
23. interiore parvo, *leg.* dente interiore parvo, *).

*) & sic in ceteris; monente Dom. Prof. Ad. Afzelio.

Pag. Lin.
47. 9. levis, *leg.* lævis,
49. 7. tenue *leg.* tenuiter
53. 4. ab infr. aqualis, *leg.* æqualis,
56. penult. proximæ affinis *C. Mauræ*, *Hotentottæ*, *leg.* proxime affinis *C. Mauræ*, *Hottentottæ*,
57. 16. stutura *leg.* suturæ
68. 29. rufo-testacea crebre, subtil. *leg.* rufo-testacea, crebre subtil.
77. 19. angulus *leg.* angulis
78. 1. arcuetæ, *leg.* arcuatæ,
— 7. ab infr. forçe *leg.* forte
89. 22. læviter *leg.* leviter
94. 20. dilutiere *leg.* dilutiore
95. 7. ab infr. msrginalibus *leg.* marginalibus
97. 7. ab inf. Ob certionem speciei notiorem, *leg.* Ob certiorem speciei notionem,
98. ult. certo cinereo-renitens, *leg.* certo situ cinereo-renitens,
100. 4. sub-rectus, *leg.* sub-retusus,
104. 29. sub-nitidus, *leg.* sub-bifidus,
— 30. *vallidæ*, *leg.* *validæ*,
106. 16. certo sit *leg.* certo situ
109. 24. leviore, *leg.* læviore,
114. 6. micantibus, anticis præsertim &c:ra *leg.* micantibus, anticis acute tridentatis, tarsis piceis, anticis &c:ra
119. 3. Maculæ erytrorum præterea desunt, exceptæ *leg.* Maculæ elytrorum præterea desunt, excepta
121. 7. angustatus. *leg.* angustata.
125. 29. longiora, sub-rotundata, *leg.* longiora, apice subrotundata
127. 24. majüs *leg.* majus
131. 5. dcpressis *leg.* depressis
— 6. Regio interiör *leg.* regio interior
135. 18. inæquale subtiliter *leg.* inæquale, subtiliter
— 26. lateribus *leg.* lateralibus
136. 9. ab infr. tenues pallide *leg.* tenues, pallide
137. 17. nimis, vacillantes *leg.* nimis vacillantes
140. 2. arcuate *leg.* acute
143. 5. 6. obtusa *leg.* obtuso
— 22. punctatis omnibus *leg.* punctatis, interstitiis omnibus
148. 29. levissimum *leg.* lævissimum
— ultim. leve, *leg.* læve,


Pag. Lin.
149. 11. levia, *leg.* lævia,
152. 22. maculaque scutellari *leg.* maculaque sub-scutellari
160. 14. *El. Textoris, leg. Lam. Textoris,*
164. 6. ab infr. America boreali. *leg.* Dalmatia.
171. 15. Antenne *leg.* Antennæ
172. 13. par aliudque intra apicem omnia *leg.* par, aliudque intra apicem, omnia
173. 17. subsiniatus. *leg.* subsinuatus,
177. 36. hac Familia, *leg.* hoc Genere,
178. 6. elevato *leg.* elongato
186. 23. punctata. Thorax &c. *leg.* punctata; os & oculi nigri. Thorax &c.
187. 24. tecta. *leg.* tecti.
195. 1. SERIPTUS. *leg.* SCRIPTUS.
26. stiolatis; *leg.* striolatis;
199. 3. 4. *leg.* SYNONYMIÆ INSECTORUM *Sectionem* 3:am.
200. Col. 1. 31-32. *adde:* * acuta. p. 213. 7. p. 213. 8. p. 238. 126.
202. Col. 2. 28. juncta. *leg.* juncea.
205. Col. 2. 17. 453. 25. *leg.* 353. 25.
— — — 18. 353. 51. *leg.* 453. 51.
— — — 29. *adde:* App. p. 191. 268.
— — — 30. *del.* App. &c.
206. — 1. 8. p. 248. 23. *leg.* p. 448. 23.
207. — 1. 36. *del.* vacuum p.
422. — 1. 40. Menyanthis. *leg.* Menyanthidis.
— — 2. 15. Spargana. *leg.* Sparganii.
231. — 2. 36. *del.* depressa. p. 394. 171.
— — — 37. Doldorfii. *leg.* Daldorfii.
— — — 39. * Decipiens. *leg.* decipiens.
246. — 1. 40. *del.* porosa. p. —
256. — 1. 21. præterlata. *leg.* prætextata.
257. — 1. 20. bidens. *leg.* bibens.
261. — 1. 37. bidens. *leg.* bibens.


Erroribus minoris momenti, sententiam non turbantibus, clementiam Lectoris imploramus.

Tab. 5.



Dalman del. I. Sturm sc.




Tab. 6.
1.a.
1.b.
2.a.
2.b.
2.c.
3.
4. a.
4. b.
5. a.
5. b.
5. c.
5. e.
5. d.
6
Dalman pinx.
I. Sturm sc.

